
1822



DE CARMINE ILIADIS

QUOD CAROLUS LACHMANNUS XVI. ESSE VOLUIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS RICARDUS SACHSE

WACHAVIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS NAUMANNIANIS.

MDCCCLXIX.

1873, Jan. 23.
Subscription Fund.

Vita.

Ego, *Friedericus Ricardus Sachse*, natus sum die XXIV. Mai mensis a. MDCCCXLVI. Wachaviae, in vico prope Lipsiam urbem sito, ubi pater ludi magister fuit. Postquam per octo annos a patre institutus sum, a. MDCCCLX., annos natus quattuordecim, scholae Thomanae discipulis adscriptus sum. A. MDCCCLXVI., cum dignus habitus essem, qui in academia ad interiorum litterarum studium me applicarem, inter cives academiae Lipsiensis clarissimae relatus sum atque triennio seminariorum regiorum philologici et paedagogici socius fui et audivi viros doctissimos *Brockhausium*, *Curtium*, *Drobischium*, *Ecksteinium*, *Hildebrandium*, *Klotzium*, *Masium*, *Nobbium*, *Pueckertum*, *Ritschelium*, *Roscherum*, *Schoenium*, *Voigtium*, *Weissium*, *Wenckium*, *Wuttkium*, *Zarnckium*, quibus omnibus semper habebo gratias maximas.

Iliadis rhapsodiae omnes antiquitus in pari honore habebantur, *Fridericus Augustus Wolfius* primus postremam eius partem, quae inde a carmine *T* sequitur, non eiusdem virtutis poeticae esse statuit quam ceteras rhapsodias. Atque, quam quam iam criticos Alexandrinos in carmine *Ω* multa offendebant minus eleganter et apte dicta et quamquam *Ricardus Dawesius* in Miscellaneis criticis p. 152 carmen *Υ* vel totum vel magnam eius partem Homero indignam esse iudicavit — deorum pugnam, quae narratur *Υ* 66 sqq. plura habere ridicula, stolida, absurda ac barbara dixit —, tamen *F. A. Wolfius* eo de quaestione, quae est de Homeri carminibus, singulariter meritus est, quod in rhapsodiis postremis sex indolem diversam a ceteris rhapsodiis sensit et multa animadvertit, quae certis argumentis demonstrare posset ab Homero abiudicanda esse. Quam sententiam vir clarissimus exposuit in Prolegomenis ad Homerum p. 137 et in epistolis ad Heynium missis p. 8. quam, quamvis recte se habere persuasum haberet, tamen satis considerate pronuntiavit neque cuiquam id, quod ipse sentiret, pro ratione venditavit, cum res ea gravissima antea singulatim et intentissima cura pertractanda esset. Ei assensus est is, qui quaestionem de carminibus Homericis post multa saecula *F. A. Wolfii* studiis denuo excitatam clara luce illustravit, *Carolus Lachmannus*. Qui in eo libro, qui inscribitur Betrachtungen über die Ilias p. 79 sqq. ultra etiam progressus est eo, quod rhapsodias non sex, sed septem postremas Iliadis minoris aestimavit et rhapsodias, quae sunt inde a *Σ* usque ad *X*, quasi cognatione quadam ita inter se contineri statuit, ut ab uno poeta profectae esse sibi viderentur. Convenientiam vero earum rhapsodiarum in quibusdam maxime rebus cerni dixit, primum in eo, quod heroes Graecorum omnes remoti essent a rebus gerendis, quo clarius eluceret unius Achillis virtus, quod plurima per deos fierent, quod nimis multae fabulae narrarentur, postremo in eo, quo similitudines et imagines ieiunae interdum et frigidae viderentur esse. Quibus rebus non minus unum poetam quam aetatem recentiorem significari. Attamen prudentissime id cavit vir sagacissimus, ne putaret, has rhapsodias saeculis distare ab eis, quae ante eas positae essent, omnibus et res praeclaras et elegantiam fere nullam in eis comparere. Neque iudicium illud satis severum fecit propter rationes ex argumento tantum et virtutis poeticae aestimatione petitas, sed alia quaedam sermonis argumenta addidit, quae haud facili negotio profligentur. Nam cum poesis epicae propriae essent certae quaedam formulae et certi versus, in eos maxime vir clarissimus inquisivit, qui oblata occasione repetuntur, aut ubi trans-

gressus fit ad novam rem exponendam aut ubi verba alicuius afferuntur, atque haud leve discrimen in ea re inter postremas et ceteras rhapsodias intercedere perspexit. Praeterea appellationum discrimina nonnulla investigavit et epanalepsin quam vocant in postremis carminibus usitatiorem esse statuit quam in ceteris.

Post *Wolfium* et *Lachmannum* hominum doctorum divisae sunt sententiae: alteri eis assensi sunt, alteri adversati. Atque facilis et libens fuit assensus eorum, qui carmina Homerica ab uno poeta profecta esse praecise negant. Nam si singulae eorum partes non uni eidemque debentur poetae, nihil veri similius est, quam eas et non eodem tempore ortas et non prorsus paris virtutis poeticae esse. In eam partem disseruit *Kayserus*, qui in disputatione de diversa Homericorum carminum origine a. 1835 edita postremis septem rhapsodiis genus dicendi modo exile et tenue, modo nimis ornatum ac redundans tribuit. In eodem numero aliqua ex parte recte habetur *Car. Aug. Jul. Hoffmannus*, cuius sententia de postremis Iliadis rhapsodiis pronuntiata postea quodam modo mutata videtur esse. Primum in Quaestionibus Homericis a. 1842 et 1848 editis aetates quasdam discrevit, quibus singulae Iliadis partes sibi compositae esse viderentur ex quaestionibus de sermone et re metrica institutis. Earum autem sex aetatum, quas statuit, secundae tribuit *Φ* 228—384, 515—611 et *X*, tertiae *Σ* 53—190, 196—242, 356—617, *T* 1—33, 37—39, 303—398, *Y* 1—212, 260—503, quartae *Σ* 1—52, 191—195, 243—368, *T* 34—36, 40—101, 103—281, *Y* 213—260, *Φ* 1—227, 385—514, *Ψ*, *Ω*, sextae postremo *Σ* 168, 181—186, 356—368?, 401, 501, *T* 102, 282—302, 382—386, 399—424?, *X* 128. Ad quam opinionem haud facile accedet quisquam, quippe quae tam spinosa sit adeoque certis argumentis careat, ut eodem iure quaevis alia distinctio aetatis proponeretur. Praeterea in eo vir doctissimus a vero nonnihil mihi videtur recessisse, quod sermonem carminum Homericorum aliquando in ore populi fuisse putavit. Quod nullo modo probabile esse cum alii homines docti demonstrarunt, tum nuper Augustus Leskien in commentatione de forma genetivi in *οιο* apud Homerum desinentis, quae est in Jahnii annal. philol. et paedag. vol. 95, p. 1 sqq. Postea *Hoffmannus* postremas rhapsodias Iliadis tractavit programmate Luneburgensi a. 1850 edito, quod inscribitur Prüfung des von *Lachmann* über die letzten Gesänge der Ilias gefällten Urteils. De qua re, ut libere fatear, quid sentiam, paullo brevius et levius egisse videtur. Quod *Lachmannus* primo loco posuit, heroas Graecorum omnes praeter unum Achillem ab argumento postremarum rhapsodiarum remotos esse, sic refutare studet, ut statuat, in celebrando Achille maxime omnium versari Iliadem et id carmen tum tantum accommodatum esse potuisse ad animos hominum permovendos, si sensu honestatis et humanitatis ut certo fundamento nisum esset. Quod ab Homero — si breviter ita licet dicere — prorsus alienum esse satis constat inter eruditos, cum, si integre rem iudicemus, eius fundamenti nullum manifestum indicium compareat et abhorreat quodam modo ab ultimae antiquitatis poesi. Item alteram *Lachmanni* caussam in eo positam, quod plurima per deos fierent, improbavit *Hoffmannus*, concessit tamen, locorum nonnullorum, qui huc spectarent, recentiorem originem probari posse, sed alia ratione. Ceterum putat, deorum auxilium et praesentiam propterea magis necessa-

riam esse in libris postremis, quod quae ante praeparata sint, iam perficiantur et absolvantur. In tertia ratione *Lachmanni* offendentis in fabulis nimis multis horum carminum, fere convenit inter utrumque virum doctum. Nam *Hoffmannus* quoque in eis fabulis offendit et recentiori aetati eas assignandas esse diserte dicit: in eo tantum dissentit a *Lachmanno*, quod alia ratione rem expediendam esse censet et numerum earum fabularum nequaquam magnum esse. Tres enim locos tantum huc spectare. Atque id concedendum est viro doctissimo, numerum earum fabularum minus offensioni esse quam argumentum et ambitum.

In quarta *Lachmanni* ratione, quae spectat ad ieiunitatem similitudinum, iudicanda nimis valde *Hoffmannus* respexit comparationum externam speciem, ut ita dicam, et ambitum, quamquam mea sententia *Lachmannus* magis in verbis ipsis offendit quam in versuum numero. Interdum enim subobscurae, interdum insolentes, interdum minus concinnae sunt comparationes. Unum affero exemplum luculentum: *X* 199 seqq. Achilles Hectorem persequens comparatur cum homine per somnum alterum cursu consequi cupiente. Quorum neuter nec fugere nec persequi potest. In qua similitudine primum obscuritas quaedam offensioni est: nam subiectum quod vocant inest in verbo *δύναται*, in quo latens tertia pronominis persona latius patet, *δύναται* enim est: „aliquis potest"; quod plane alienum est a libris, qui antecedunt. Deinde *διώκειν* nullo alio Iliadis loco significat „cursu consequi", quam vim hic necessariam esse apparet ex versu 201 *ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσίν*. Si *διώκειν* ut alibi significaret „persequi", comparatio aptam sententiam omnino non praeberet, nam Achilles revera iam persequitur Hectorem. Frigida utique est comparatio, quoniam non secundum ceterorum carminum consuetudinem petita est ex rerum natura et quoniam copiosum quoddam genus dicendi, quo maxime delectamur in comparationibus Homericis, plane abest. Comparationes nonnullas praestantissimas in carminibus postremis inesse nemo negabit. Tamen id non negligendum esse arbitror, quod aliquot similitudines aperte spectant alias, quae sunt in libris A—P. Hac quoque in re unum exemplum afferre satis habeo. *X* 26 sqq. Hector comparatur cum Orione sidere: verba, quae sunt v. 26—27, proxime accedunt ad locum, qui est *E* 5 *ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνῃσι*, similia verba sunt *Λ* 62 *οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστὴρ | παμφαίνων*; v. 26 *ἐπεσσύμενον πεδίοιο* = *Ξ* 147; v. 27 *ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν* = *E* 5 *ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον*; v. 26 *ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ* = *N* 244; v. 28 *νυκτὸς ἀμολγῷ* = *Λ* 173; quae sententia deinde continetur versibus 30—31, inest iam in epitheto *οὔλιος ἀστὴρ* *Λ* 62, nomen tamen sideris ante carmen *Σ* (v. 488) non commemoratur, quamquam et *E* 5 sqq. et *Λ* 62 sqq. idem sidus dicitur. Cuius nomen omissum est duobus locis carminum *E* et *Λ*, quia notissimum fuit illud sidus et bene quisque sciebat, quod sidus perniciosum, cuius occasus tempore hiberno imbres ferret, intelligendum esset. Mihi quidem ipso illo nomine adlato posterioris temporis indicium contineri videtur. In Iliade nomen istud bis est, *Σ* 488 et 486, hoc carminis *X* loco excepto, saepius in Odyssea. Atque versus, qui est *Σ* 486, similis est eius, qui est *ε* 272 et *Σ* 487—489 eidem versus sunt atque *ε* 273—275: uter locus tamen sit antiquior, non ausim dicere. Similitudo quaedam inter haud

paucas comparationes rhapsodiarum posteriorum et priorum intercedit, non solum locutiones, sed versus etiam integri repetuntur nec minus saepe argumenta similia sunt. Ubi vero argumentum comparationis est diversum a rhapsodiis, quae antecedunt carmen Σ, ibi fere semper aliae res multae succurrunt, aetatem non dixerim multo recentiorem, sed recentiorem tamen declarantes. Hae omnino res accurate persequendae erant *Hoffmanno*, ut certum de hac *Lachmanni* ratione iudicium pronuntiaret. Extrema eius commentationis verba satis declarant, *Hoffmannum* a *Lachmanno* non valde dissentire: nam is quoque vir doctus minime negat, partes quasdam maiores harum rhapsodiarum praestantissimis adnumerandas esse, sed alia ratione rem tractandam esse repetit. Quas rationes e re metrica et sermone petendas esse apparet maxime e pagina quinta. Iniuria mihi vero *Hoffmannus* ea prorsus omisisse videtur, quae p. 81—89 *Lachmannus* de universa harum rhapsodiarum conditione disputavit, quae haud facile profliganda sint.

A partibus *Wolfii* et *Lachmanni* stant hi quoque viri docti: *Liesegangius*, qui in Dissertationibus de XXIV. rhapsodia Iliadis Duisburg. 1862 et 1867 editis, suam de hac re sententiam significavit magis quam exposuit; neque minus *Arminius Koechly*, qui primum in editione Iliadis carminum XVI. Lips. 1861 tacite sententiam suam declaravit, deinde in programmate Turicensi a. 1859 edito, quod inscribitur Hectors Lösung, iure suo enarravit, quam praeclare et eleganter plurima se haberent in carmine Ω. De locis aliquot carminis Σ quasi praeteriens disseruit *Schuetzius* in programmate Anclamensi a. 1854 de Patrocleae compositione scripto. Is Patrocliam continere statuit rhapsodias Π, P, Σ 1—368 ita tamen, ut composita sit e duobus carminibus. Cui quamquam non assentior, quod extremam partem carminis P et initium carminis Σ inter se apta conexaque esse opinatur, tamen rectissime eum offendisse in locis aliquot carminis Σ arbitror. Achillem parum sibi constare dicit: eum nuntio de morte Patrocli allato summo pugnandi et ulciscendi ardore accensum esse, nihilominus tamen se in pugnam non prius processurum esse promittere Thetidi matri, quam ea arma nova a Vulcano fabricata attulerit; minime decere eum metuere de vita et non prodire ad fossam nisi adductum Iridis hortatione. Abhorrere a consuetudine poesis epicae, quod non dicatur post versum Σ 34, quo abeat Antilochus. Offensioni esse missionem Iridis, quam Juno ad Achillem legaverit insciis deis omnibus (v. 168), cum v. 203 sqq. Minerva Achilli opem ferat. Versus 356—368 ferri fere non posse et colloquium, quod habeatur inter Achillem Thetidemque, apte expungi. De rhapsodiis quae sequuntur inde a carmine *T Schuetzius* nihil tradidit, quod alienum fuit ab eo proposito. Commemorandus est praeter hos viros doctos *Carolus Holmius*. Qui in programmate Lubecensi, quod inscribitur Ad *Caroli Lachmanni* exemplar de aliquot Iliadis carminum compositione quaeritur, a. 1853 res nonnullas huc spectantes attigit. *Car. Lachmannum* dixit diserte vetare, ne quis rhapsodias Σ—X in singula carmina distribuat, cum ab uno auctore profectae sint. Se quoque id facere nolle, sed nonnulla indicaturum esse, quibus ad pristinam horum librorum formam, si ita dicere liceat, divinandam aliquis uti possit. Negligentiam quandam narrandi alienam esse a recta ratione bonorum epicorum poetarum (vel paullo serioris aetatis); id potius accomodatum esse ad epicae poesis indolem, ut longa

fiat narratio. Carmina Σ et T vero negligentiae in narrando commissae valde luculenta exempla praebere, velut Σ 32, ubi non narretur, quo se conferat Thetis, postquam Patrocli corpus a putredine defenderit ambrosia et nectare infuso. Minus aptum esse versum Σ 314, quod non commemoretur Troianos post cenam cubitum ivisse et quod parum veri simile sit, Achivos omnes per totam noctem Patroclum lamentatos esse, quippe quod fuerit Myrmidonum neque vero Achivorum omnium. Carmina minora initio non coniuncta cum universi carminis perpetuitate, esse scuti Achillei descriptionem et μήνιδος ἀπόῤῥησιν.

Nolo tamen omnes hominum doctorum sententias in conspectu ponere, qui cum *Lachmanno* consentiunt. Transeo iam ad eos doctos, qui ei adversantur. Quorum ut antea praestantissimos viros commemorare satis habeo. Ei profecto studio et constantia summa contendere coguntur, rhapsodias postremas septem coniunctas esse cum vero poetae consilio, qui Iliadis rhapsodias omnes ab uno poeta compositas esse etiam nunc opinantur. Quo in numero sunt Nitzschius Naegelsbachius Baeumleinius et alii, praecipue vero homines docti Britanniae. *Nitzschius* in eo maxime libro, qui inscribitur: Die Sagenpoesie der Griechen, kritisch dargestellt, aperte dicit, totam *Lachmanni* quaestionem de Iliade institutam immane quantum a vero aberrare. Deinde p. 265 sqq. docet, eiusdem argumenti universi vinculo contineri rhapsodias omnes, eas quoque, quae de Achille amici mortem ulciscenti agant. Ne carmina Ψ et Ω quidem ab eo argumento disiungi posse, immo ludos funebres et redemptionem corporis Hectoris necessariam esse ad carmen apte finiendum atque ne postremas quidem duas rhapsodias quicquam habere, quo recentior aetas manifesto declaretur: quam eandem sententiam statuit *Ludovicus Friedlaenderus* in eo libro, quo historiam carminum Homericorum criticam inde a *F. A. Wolfio* usque ad Grotium enarravit. Qui addictus eis, quae Grotius in libro de rebus Graecorum scripto de origine carminum Homericorum statuit, e sermonis rhapsodiarum postremarum condicione certi quicquam effici posse liquido negavit. Esse sane discrimina quaedam sermonis et orationis, sed levia tantum, et locis paucis exceptis carmina postrema non minus venustatis et elegantiae habere quam superiora, immo comparationes in illis inesse pulcherrimas. Carminum Homericorum conspirationem summa diligentia nuper defendit *Fr. Nutzhornius* libro a. 1863 (lingua danica, hoc ipso anno theodisca edito, qui inscribitur Die Entstehungsweise der Homerischen Gedichte (praefatus est *Nicolaus Madvigius*). Qui in ea parte, quae ad hanc de carminibus extremis quaestionem instituendam spectat, fere eodem modo, quo *Friedlaenderus*, eam rem tractavit; negavit, unquam certis argumentis ex rebus et sermone petitis doceri posse, ullas Iliadis partes posteriore tempore additas esse. Qua in re confitendum est, quod *F. A. Wolfius* in Prolegg. p. 138 statuit, in universum eundem sonum esse omnibus libris, eundem habitum sententiarum, orationis, numerorum. Quod quam recte se haberet, tum demum optime intellexi, cum singulas nominum et verborum formas contulissem, haud desperandum esse ratus, cum antiquiores et recentiores quarundam formarum terminationes promiscue usurparentur in Homeri carminibus, in eis rhapsodiis, quae recentiori aetati assignarentur, formas etiam recentiores magis in usu esse quam in eis, quae

ante carmen Σ essent. Quod longe aliter evenit. Nam genetivus in *οιο* desinens usitatior est apud Homerum quam is, qui in *ου* exit, quin in carmine Φ multo saepius genetivus in *οιο* desinens legitur quam is, qui in *ου* exit: prior enim forma ibi est sexagies bis, ut ego quidem numeravi, posterior quadragies bis. Contra in libro *O*, de quo nulla adhuc iniecta est dubitatio, prior forma est quinquagies ter, posterior sexagies semel. Qui fit, ut inde nihil certi constitui possit. Idem cadit in formas infinitivi in *μεναι*, *μεν*, *ναι* et *ειν* desinentes. Nam cum forma in *μεναι* exiens sit antiquissima, putaverit aliquis, in carminibus postremis eam rarius obviam esse quam in superioribus: at vero in carmine Φ infinitivus in *ειν* et *ναι* desinens est undevicies, is qui exit in *μεν* bis, is vero qui in *μεναι* vicies bis. Quamobrem qui eam viam ingreditur, ad certum finem non perveniet. Attamen, cum antiquiores formas apud Homerum omnino frequentiores esse quam recentiores satis constet, eo id manifesto declaratur, sermonem carminum Homericorum nullo umquam tempore apud Graecos in ore omnium fuisse. Perperam igitur *Nutzhornius* opinatur, sermonem Homericum esse aetatis, qua antiquiores et recentiores formae promiscue sine ullo discrimine usitatae fuerint, quod si recte se haberet, haud dubie exspectaretur, eas formas, quae mediae sunt inter antiquiores et recentiores, velut genetivum in *οο* desinentem et infinitivum in *μεν* exeuntem, frequentiores esse quam re vera sunt.

Medium locum inter eos, qui *Wolfio* et *Lachmanno* aut adstipulati aut adversati sunt, obtinet quodam modo *Henricus Duentzerus*. Qui a. 1847 in Musei Rhenani vol. V. p. 378 sqq. contra Geppertum post carmen X Iliadi finem imponentem disputavit ita, ut carmen Ω tractans doceret, etiam ultimam rhapsodiam nullo modo discernendam esse ab universo poetae consilio. Quamquam et ipse eam partem carminis Ω, quae est post v. 677, ab Homero abiudicavit. Post mortem Hectoris, i. e. post carmen X, Iliadem finiri non posse, sed ante quam poeta iustum finem facere potuisset, Patroclum sepeliendum, certamina funebria habenda, Troianos duodecim interficiendos, corpus Hectoris curru religatum circa Patrocli tumulum raptandum fuisse, quoniam id promisisset Achilles Φ 27. X 335. 354. Nonne eodem iure statui possit, illa ipsa carmina Ψ et Ω posteriore tempore addita esse, cum argumentum eorum eis, quos attuli, locis significatum esset? Partes quasdam ut librorum omnium, sic postremorum etiam *Duentzerus* expungendas esse censet, quo aptius singulae inter se partes conveniant et consilium poetae magis ad pristinam redigatur formam. Ultra progressus est in recognitione libri quem supra attuli a *Friedlaendero* scripti, quae est in Jahnii annal. philol. et paedag. vol. 68, p. 484 sqq. (a. 1853). Ubi in rebus multis, quae continentur libris extremis, offendit: in eo, quod equi Achillis lingua praediti sint, in pugna Achillis et Xanthi, in pugna deorum, in epanalepsi quam vocant, quae horum carminum maxime propria sit et in formula *αὐτὰρ ἐπεὶ τόγ' ἄκουσε*, quae ter tantum sit in Iliade neque legatur ante rhapsodiam Σ. Secundum has rationes locos plurimos postremorum carminum expungendos esse indicavit in editione Iliadis scholarum in usum facta, qua in re satis confidenter et tam audacter mihi videtur egisse, ut eius sententiam nullo modo comprobem. Quis enim in re difficillima, in iudicanda carminis alicuius virtute poetica, semper veras

iudicandi rationes amplexum se esse confidat? Quis tam gnarum dictionis et sermonis carminum se ausit habere, ut probabili ratione in singulis locis indicare possit, quid vere sit consentaneum cum poesi Homerica, quid non? Accedit, quod tam multos locos, singulos interdum versus, ab Homero *Duentzerus* abiudicavit, ut dimidia fere pars, si quis eius sententiam amplecteretur, rhapsodiarum postremarum Homero indigna habenda esset. Atque cum *Duentzerus* fere semper eos praecipue locos in suspitionem vocaverit, qui sibi parum congruenter et concinne facti esse visi sint, quis tandem est, qui ignoraverit eruditorum de virtute poetica singularum rhapsodiarum sententias discrepantes? Nonne, si quid non convenienter et languide dictum videtur esse, id eodem iure ei, qui totam eam rhapsodiam composuit, poetae tribuitur? Quod necessario videtur postulari propterea, quod, si quis omnia ea, quae minus apta viderentur esse, demeret e rhapsodiarum earum perpetuitate, postrema illa Iliadis pars mutila omnino et manca esset. Quamobrem mittimus *Duentzeri* illam rationem audacissimam, qua nihilo minus non satis fit eruditorum voluntatibus. Sunt sane res multae, in quibus, quicumque animo intento rhapsodias postremas septem legerit, haud dubie offenderit. Maxime animadvertitur negligentia quaedam narrandi, quam Holmius appellavit. Cum enim, ubi transitus fiat ad novam rem exponendam, antea in rhapsodiis *Α—Ρ* ad eam rem poeta viam quasi muniat, in postremis brevitas et praecisum quoddam genus dicendi est plane abhorrens ab epica poesi. Multo tamen latius patet in his libris, quod *Holmius* et *Liesegangius* observarunt, interdum non commemorari, quo quis abeat vel unde quis accedat. Neque ad carmina *Σ* et *Τ* tantum id pertinet, quae est *Holmii* opinio. Antilochus initio libri *Σ* accedit ad Achillem nuntium Patrocli occisi adferens, lamentatur deinde cum Achille miserrimam eius sortem et prohibet, quominus Achilles summo adductus maerore mortem sibi inferat, v. 34. Quid postea faciat, utrum apud Achillem remaneat an in pugnam redeat, ne verbo quidem significatur. Servae Achillis v. 28 audito Patrocli mortis nuntio ad Achillem e tentorio accurrunt cum Achille et Antilocho mortuum lamentantes plangentesque, postea earum nulla fit mentio. Juppiter et Juno v. 356—368 subito inter se colloquuntur, quamvis non perspiciatur, qua de caussa tam repente inducantur. Charis, Vulcani uxor, v. 391 marito Thetidis adventum nuntiat, cui is mandat, ut Thetidi dona hospitalia proponat, dum ipse instrumenta colligat. At ne verbo quidem postea Charitis mentio fit. *Τ* 39 Thetis Patroclo ambrosiam et nectar infundit, ut corpus a putredine defendat, quo deinde se contulerit, non narratur. Quod diserte exponitur v. 355, ubi Minerva Achilli ambrosiam et nectar offert, ne fame fatigatus segnius dimicet: *αὐτὴ δὲ πρὸς πατρὸς ἐρισθενέος πυκινὸν δῶ | ᾤχετο.* Ac maxime id mirum est, Thetin post hunc locum ante *Ψ* 14 omnino non induci, tamquam si curae filio impertiendae plane oblita sit.

Briseis *Τ* 282 sqq. subito inducitur Patrocli sortem in tentorio Achillis lamentans, postea v. 303 sqq, non minus subito principes Achivorum ad Achillem accedunt, rogantes, ut cibum sumat. Achillem enim dici e sententia plane apparet, e verbis minime. Nam postquam de Briseide expositum est, v. 302 haec sequuntur: *αὐτὸν δ' ἀμφὶ γέροντες Ἀχαιῶν ἠγερέθοντο | λισσόμενοι δειπνῆσαι.* Quod necessario fit in Achillis tentorio, in quod

perducta est Briseis et reliquae mulieres v. 280, in quo iacet corpus Patrocli, in quo paullo ante Briseis Patroclum lamentata erat et in quo Achilles deinde v. 315 sqq. conqueritur de amico amisso, se in eius corpus coniiciens Quo tempore ab Achille discesserint Atridae Ulixes Nestor Idomeneus Phoenix, non narratur. Juppiter eos miserans Minervam mittit, quae, ubi ad naves accessit, Achivos videt ad proelium se armantes. Achilles haud dubie non iam in tentorio est, sed apud ceteros duces, qui quo adducti sint, ut tam subito ad arma festinent, ex ipso carmine non perspicitur. *Υ* 374, Hector iam in eo est, ut ad Achillem accedat certamen singulare cum eo initurus, subito tamen v. 375 Apollo eum appellat, vetans eum id facere. At vero utrum iam antea apud eum fuerit (videtur e verbo παραστὰς v. 375) an eo ipso tempore ad eum venerit, non exponitur, prorsus contra consuetudinem librorum *Α*—*Ρ*. Neque additur v. 379, quo abeat Apollo, nihil de ea re dicitur nisi hoc: ὢς ἔφαθ'. Eodem modo v. 443 Apollo Hectorem ab Achille defendit, sed neque unde ad eum venerit poeta memorat, neque quo discesserit. Eadem de caussa non possum non offendere in v. 455:

ὢς εἰπὼν Δρύοπ' οὖτα κατ' αὐχένα μέσσον ἄκοντι. *Φ* 228 Xanthus repente appellat Apollinem, quem adesse omnino ignoratur. Neque quid deinde Apollo incipiat narratur. *Χ* 5 sqq. exponitur, Hectorem adduci non potuisse, ut intra moenia Troiae se referret. Postea vero Hector subito a poeta mittitur et Apollo inducitur Achillem adloquens. *Φ* 600 Apollo Antenoris forma indutus prope Achillem steterat, *Χ* 8 sqq. ut deus eum appellat. Quae verba sunt frigidissima: cur tandem se persequatur, homo deum immortalem; eum se non agnovisse, sed acerrime in se irruisse; non ei cordi esse pugnam Troianorum, quos fugaverit: se tamen ab eo non interfectum iri, ut pote qui morti non destinatus sit. Deinde Apollo quoque mittitur et quid Achilles moliatur, inde a versu 21 commemoratur. Praeterea orationes, quae sunt in carminibus *Σ*—*Χ*, maxime propter exile quoddam dicendi genus notandae sunt.

Quarum hae praecipue memorabiles sunt: oratio Achillis *Σ* 98—126, Agamemnonis *Τ* 78—144, Ulixis *Τ* 216—237, Aeneae *Υ* 200—259, Andromachae *Χ* 477—514.

In Achillis oratione *Σ* 98 sqq. molesta est sententia eadem ter repetita, Achillem Patroclo in pugna opem non tulisse et periculo summo non eripuisse, v. 98. 100. 102. Loco communi quem vocant, v. 107—110, animo libenti careamus, quoniam cum sententia quae antecedit arte non cohaeret. Totius enuntiationis, quae est inde a versu 101 usque ad versum 115, ratio contorta est et particulam νῦν, quae est initio v. 101, multis versibus interiectis ad verbum quod vocant finitum εἶμ' referendam esse, nemo certe eleganter se habere censebit. Verba v. 121 κείσομ', ἐπεί κε θάνω mihi non placent, quia κεῖσθαι iam significat „mortuum esse", velut v. 20 et locis multis aliis. Idem igitur bis dictum est et si quis cum Faesio, aliam ad haec verba explicanda viam ingressus, putaverit, inter se opponi hoc versu κείσομ', ἐπεί κε θάνω et νῦν δὲ κλέος ἐσθλὸν ἀροίμην (i. e. quando mortuus ero, iners et otiosus iacebo, nunc vero, vivus, gloriam praeclaram adipiscar), id fieri posse praecise nego, cum verba ὢς καὶ ἐγὼν κείσομ', ἐπεί κε θάνω aperte referenda sint ad comparationem antea institutam: sicut ne Hercules

quidem mortem effugere potuit, sic et ego moriar. Haec una sententia recta est, quamquam, ut supra dixi, illud ἐπεί κε θάνω valde languet.

Contione convocata in carmine *T* 55—73 Achilles iracundiam suam missam facit. Plurimum offensionis movent ea, quae Agamemno respondet v. 78 sqq. Achilles eum nomine appellaverat v. 56, Agamemno id non facit, nihilominus v. 139 sqq., nomine non allato, eum adloquitur ita, ut, nisi ex sententia perspiceretur Achillem dici, omnino nesciretur, quis tandem appellaretur. Obscura et confusa sunt, quae inde ab initio Agamemno dicit, mira excusandi ratio v. 86 sqq. et repugnans locis, qui sunt I 108 sqq., 115 sq. et *T* 137, qui versus non satis apte repetitur ex *I* 116, nam in carmine *I* Agamemnon se in culpa esse nequaquam negat et ibi verbum ἀασάμην active positum est : contra in libro *T* passiva vis requiritur, quoniam Agamemnon non concedit, sua ipsius culpa Achillis iram ortam esse. Miro modo confunduntur deinde ἄτη caecitas mentis (cf. v. 88) et Ἄτη dea, quae in eadem rhapsodia *I* tantum praeter hunc locum memoratur. Non convenienter sententiae inter se aptae conexaeque sunt: Juppiter deceptus est (ἀάσθη), quo vero iure Aten deam de caelo deiecerit, non dilucide cognoscitur, cum nullo loco in versibus 95—125 Ate dea commemorata sit. Quae omnia mihi non severe cogitata nec convenienter coniuncta videntur esse. Jeiune postea Ulixes monet, ne ieiuni Achivi in proelium prodeant. Quam sententiam pronuntiat *T* 155—183, attamen eorum quoque, quae dicit v. 216 sqq., summa eadem est mea quidem sententia. Ante dederat consilium frigidum, *T* 216 sqq. confuse et obscure loquitur. Pugna comparatur cum messe, ita tamen, ut utraque notio parum discernatur. Homines mox satiari proelio, messis lucrum vero minus esse eorum, qui plures amiserint quam altera pars (i. e. in pugna vincere, quorum pauciores occidantur), quando Juppiter victoriam aut huic aut illi parti dederit. Quae sequuntur quomodo conexa sint cum eis, quae antecedunt, ego quidem non perspicio: fieri non posse, ut Achivi mortuos lugeant γαστέρι i. e. ieiunio, esuriendo. Neque minus quae de sepultura dicuntur, aliena sunt. Versu demum 230 clarior fit oratio: qui in pugna non perierint, eos debere cibo vesci et potu, quo fortius cum hostibus pugnent.

Y 176 Achilles et Aeneas in eo sunt, ut certamen singulare committant Ante tamen Achilles Aeneae convicia facit v. 178—198. Cui respondet Aeneas v. 200—258, quae verba gravem offensionem movent. Etenim Aeneas dicit, se quoque maledicendi peritum esse, quam ob rem exspectamus iam eius convicia. At vero v. 203 ad rem plane alienam transgreditur et postea v. 246 sqq. utrumque bene callere convicia dicit, quamquam ipse ne uno quidem verbo maledixit, sed Achilles tantum Aeneae. Omnia, quae sequuntur inde a v. 248, frigida sunt, quoniam eodem spectant. Quid dicam de v. 203—241, quibus Aeneas Achilli genus suum exponit, quod plane abhorret ab ea condicione rerum? Maxime vero v. 221—229 molesti sunt.

Oratio Andromachae Hectorem maritum lamentantis bene procedit usque ad v. 486. Quae vero sequuntur non conveniunt, quod sensit iam Aristarchus, qui versus 487—499 expunxit. Egregie de hoc loco disseruit *Carolus Lehrsius* in epimetro, quod libro de Aristarchi studiis Homericis scripto addidit, p. 436 sqq. Qui dupliciter totum hunc locum, v. 487—514, vitiatum esse acutissime sensit: primum v. 487—499 interpositos esse, per

se elegantes et apte procedentes, sed non accomodatos ad argumentum versuum antecedentium, postea vero versus 500—514 inepte sine ulla sententia additos esse. Tota res tam manifesta est, ut nemo *Lehrsium* impugnare audeat.

Praeter orationes vero multi loci in suspitionem vocantur a doctis. Ac ne ei quidem, qui rhapsodias vel postremas antiquissimo tempore compositas esse contendunt, partes quasdam eiiciendas esse negant. Sic *Nitzschius* ab Homero liquido abiudicavit *θεομαχίας*, quae sunt Y 54—75, Φ 385—515, *Friedlaenderus* posteriorem deorum pugnam et Achillis et Xanthi certamen, alii alia: ut *Nutzhornius* unus videatur esse, qui omnes Iliadis partes in pari honore sine ullo discrimine habendas esse censeat. Is enim ne in Nereidum quidem indice offendit suspecto iam criticis Alexandrinis, Zenodoto praecipue et Aristarcho: nam *ὡς ἔχων Ἡσιόδειον χαρακτῆρα* ab eis expunctus est et iure quidem, cum eius modi enumerationes a carminibus Homericis abhorreant. Praeterea etiam v. 49 carminis Σ: *ἄλλαι θ' αἳ κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν* aperte languet, quod certe Nereides aut non enumerandae erant aut omnes, nihilo minus v. 49 declaratur, partem earum tantum nominatim afferri. Omnino non intelligitur, quo consilio poeta partem eam enumeraverit.

Vehementer autem dubitaverim, an opinio *Nutzhornii* recte se habeat qui eo consilio Nereidas enumerari contendit, ut innumerabiles sicut maris undae videantur esse.

Loci igitur sunt in libris Σ—Ω, qui eruditos animo intento legentes offendunt. Quorum numerus cum admodum magnus sit, multo veri similius est, eas rhapsodias totas aetate recentiore compositas, vel in eam, in qua nunc sunt, formam redactas esse, nam si omnia ea, quae minus placeant, ex eis dempseris, quae restabunt, mutila et manca erunt. Id vero negari nequit, in his quoque libris locos praestantissimos inesse, velut Briseidis de Patroclo conquestionem, comparationes nonnullas, finem libri Φ, alia. De quibus amplius disserere alienum duco a proposito meo, praesertim cum probe sciam, in aestimatione virtutis poeticae carminis alicuius interdum doctos in diversas, quin contrarias sententias abire. Firmo fundamento nituntur, quae *Lachmannus* ingeniose investigavit in formulis, quibus poeta ad novam rem narrandam viam munit, diversa a libris Α—Ρ. Locutionem *αὐτὰρ ἐπεὶ τόγ' ἄκουσε* ter tantum esse in Iliade idque in libris posterioribus, *Lachmannus* primus statuit: loci sunt Y 318. Φ 377. Ψ 161. Inauditum esse versus initium *φῆ πυρὶ καιόμενος* Φ 361 in carminibus antiquioribus. Orationes, quae uno versu absolvantur, postremarum fere rhapsodiarum tantum proprias esse. Poterat vir doctissimus eos locos addere, quibus orationes afferuntur versibus eas inducentibus solitis ante non positis: quo pertinent loci, qui sunt Φ 74. 472. 481. Ω 171. Κ 192, praeterea etiam Ρ 586 et ε 429, nam versus Φ 73. 471. 480. Ω 170. Κ 191. Ρ 585. ε 428 aut absunt a codice Veneto aut spurii habiti sunt ab Aristarcho. Versus aliquot, qui occasione oblata repetuntur, plane absunt a libris Iliadis primis septendecim, velut *στῆ δ' ὀρθὸς καὶ μῦθον ἐν Ἀργείοισιν ἔειπεν* Ψ 271. 456. 657. 706. 752. 801. 830; *στὰς δ' ἄρ' ἐν Ἀργείοις ἔπεα πτερόεντ' ἀγόρευσεν* Ψ 535; *αὐτόθεν ἐξ ἕδρης, οὐδ' ἐν μέσσοισιν ἀναστάς* Τ 77, et alii multi.

Quibus rebus omnibus omissis duae praeterea viae videntur esse, quas

ingressus aliquis dilucide demonstrare possit, libros Σ—Ω utique post ceteros compositos esse: primum indicando, quo modo loci permulti illorum librorum ex his aut imitatione expressi aut integri desumpti sint. Quod significavi iam supra exemplis nonnullis, multo plura facili negotio addere poteram. Hoc loco id unum addam, valde mirum mihi videri, quod *X* 355 sq., ubi describitur Hectoris mors, plane eidem versus repetuntur, qui antea de Patrocli morte dicti sunt: *X* 361—364 = *Π* 855—858, praeterea *X* 365—366 = Σ 115—116. Unde id apparet, poetas posteriores de industria locos superiores respexisse et imitatos esse. Attamen cum *Im. Bekkerus* in editioue Iliadis secunda accurate eos locos annotaverit, qui alios carminum superiorum locos spectent, eam rem altius repetere supervacaneum est.

Quam ob rem alteram viam iniens demonstrabo, quae in sermone et oratione librorum eorum, quos *Car. Lachmannus* carmen Iliadis sextum decimum esse voluit, novata sint. Carmina Ψ et Ω mitto, quoniam non arte cohaerent cum illis, respicientur tamen, ubi cumque id necessarium erit. Universam autem materiam ita disponam, ut primum vocabula derivata quae vocantur enumerem. Atque cum magni momenti sit scire, fuerintne ea vocabula, quae absunt a rhapsodiis *A—P*, in usu posteriore tempore, addam eos locos Odysseae, hymnorum, Hesiodi carminum, quibus eadem vocabula sunt. Sic enim ratiocinatus sum, haud veri simile esse, poetas epicos multo recentiores imprimis imitatos esse vel ante oculos habuisse multo antiquiores, sed uno quasi tenore poetas respexisse eos praecipue, qui proxime aetate antecessissent.

Deeinde rariors aliquot formas nominum et verborum tractabo et eas voces, quarum vis in libris postremis mutata est.

Postremo discrepantia epithetorum quae vocantur in conspectu ponetur

Cum vero in eius modo rebus brevitati studendum sit, ne longius extendatur commentatio, breviter de singulis vocabulis agam et siglis aliquo quae vocant utar.

I. Verba derivata carminum Σ—*X*.

In libro, quem supra commemoravi, p. 119 *Nutzhornius* praeter alias res verborum quoque formationem statuit ansam non praebere, qua demonstrari possit, alias aliis partes Iliadis recentiores esse. Ne in extremam quidem Odysseae partem haec valere, quae a multis suspecta habeatur. Nullum esse vocabulum, quod formatione ipsa post carminum Homericorum aetatem ortum esse probari possit. Cui sententiae non assentior. Nam facile demonstratur in carminibus de quibus agimus, studio quodam et amore vocabula nova facta esse, quae a ceteris aliena sint. Atque res non in eo versatur, ut doceatur, vocabulorum formationem novam quasi et plane aliam esse in carminibus Σ—Ω, sed formationes quasdam in eis magis magisque increbruisse. Sic, ut exemplo illustrem eam rem, verbum *ἀνιάζειν*, derivatum a voce *ἀνία*, plane a prioribus libris alienum est, sed legitur Σ 300 *ὃς κτεάτεσσιν ὑπερφιάλως ἀνιάζει*, Φ 270 *θυμῷ ἀνιάζων*, Ψ 721 *ὅτε δή ῥ' ἀνίαζον ἐϋκνήμιδας Ἀχαιούς*. Satis frequens est in Odyssea, δ 460. 598. ο 335. τ 323. χ 87 *θυμῷ ἀνιάζων* ut Φ 270. Quo exemplo certe colligitur. verbum *ἀνιάζειν* post carmina *A—P* composita increbruisse. Quod si omnes Iliadis rhapsodiae eodem fere tempore compositae essent, nonne mirum

esset, nullo loco verbum ἀνιάζειν legi in carminibus *Α—Ρ*? Dixerit sane quispiam, casu id factum esse et poetae licuisse, modo hoc, modo illo verbo uti, multis verbis novis, quae sunt in carminibus postremis septem, certi aliquid haud dubie efficietur. Quid quod vocabula eius generis haud pauca in Odyssea frequentia sunt? frequentia etiam in hymnis et aliis carminibus?

Tractabo iam eas voces ita, ut in genera quaedam distribuam. Primo loco ponam verba contracta quae dicuntur.

ὁμοκλᾶν Σ 156 μέγα δὲ Τρώεσσιν ὁμόκλα. Quod verbum praeterea etiam Ω 248 legitur: ὁ δ' υἱάσιν οἶσιν ὁμόκλα. Multo tamen frequentius est verbum ὁμοκλεῖν, quod legitur in rhapsodiis *Α—Ρ*, in postremis eius certum exemplum non est, cum ὁμοκλήσαντ' Ψ 363 et ὁμοκλήσας Υ 365. 448. Ψ 337. Ω 252 non minus recte ac ὁμοκλᾶν enodentur quam ab ὁμοκλεῖν.

γοᾶν est Σ 355 Πάτροκλον ἀνεστενάχοντο γοῶντες = v. 315. Quod verbum haudquaquam abest a libris antiquioribus, sed multo saepius et certo usu ponitur in eis, quos tractamus, Φ 124. Χ 353. Ψ 106. Frequens est in Odyssea δ 721. 800. κ 209. μ 234. τ 119. 210. 264. 513.

φυσᾶν. Follis, φῦσα, in hac tantum rhapsodia Σ est, v. 372. 409. 412. 468. 470. Verbum inde derivatum legitur bis, Σ 470 φῦσαι δ' . . . πᾶσαι ἐφύσων et Ψ 218 vi tralaticia, ubi Boreas et Zephyrus φυσῶντες λιγέως dicuntur.

λοχᾶν. Vox frequentissima in Odyssea, in Iliade ἀπ. εἰρ. Σ 520 ὅθι σφίσιν εἶκε λοχῆσαι.

ἀμᾶν. Primo loco est Σ 551 ἔνθα δ' ἔριθοι ἤμων, deinde Ω 451 ὄροφον λειμωνόθεν ἀμήσαντες, in Odyssea haud rara vox est, velut ι 135 μάλα κεν βαθὺ λήϊον αἰεὶ | εἰς ὥρας ἀμῷεν, qui locus haud dubie hunc versum carminis Σ respicit. Apud Hesiodum est in Op. et D. 392. 775. 778. Theog. 181. 599; deinde in scut. Herc. 288 αὐτὰρ ἔην βαθὺ λήϊον οἵγε μὲν ἤμων | αἰχμῇς ὀξείῃσι κορυνιόεντα πέτηλα, qui versus mihi imitatione effecti videntur esse ex Σ 551. Nomen ἀμητὴρ est ἀπ. εἰρ. Λ 67 ὥς τ' ἀμητῆρες ὄγμον ἐλαύνωσιν loco huius, qui Σ 551 legitur, simili.

τρυγᾶν. Est ἀπ. εἰρ. in Iliade, Σ 566 ὅτε τρυγόῳεν ἀλωήν, semel in Odyssea η 124 ἑτέρας δ' ἄρα τε τρυγόωσιν, | ἄλλας δὲ τραπέουσι. Nomen τρύγη vero in hymno in Apollinem composito 55 est: οὐδὲ τρύγην οἴσεις, οὔτ' ἄρ φυτὰ μυρία φύσεις; τρυγηφόρος hymn. in Apoll. Pyth. 351 et verbum τρυγᾶν et nomen τρυγητὴρ sunt in scut. Herc. 291—5, ubi imitatio loci Σ 566 manifesto apparet:

οἱ δ' ἄρ' ἐν ἐλλεδανοῖσι δέον καὶ ἔπιτνον ἀλωήν, οἱ δ' ἐτρύγων οἴνας δρεπάνας ἐν χερσὶν ἔχοντες, οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν ὑπὸ τρυγητήρων λευκοὺς καὶ μέλανας βότρυας μεγάλων ἀπὸ ὄρχων, βριθομένων φύλλοισι καὶ ἀργυρέῃς ἑλίκεσσιν. Quod legitur v. 291 ἐν ἐλλεδανοῖσι δέον convenit cum Σ 553 ἐν ἐλλεδανοῖσι δέοντο; v. 292 οἱ δ' ἐτρύγων οἴνας = Σ 566 ὅτε τρυγόῳεν ἀλωήν; v. 293 οἱ δ' αὖτ' ἐς ταλάρους ἐφόρευν = Σ 568 παρθενικαὶ δὲ καὶ ἠΐθεοι — πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι φέρον μελιηδέα καρπόν; v. 294 μέλανας βότρυας = Σ 562 μέλανες δ' ἀνὰ βότρυες ἦσαν; v. 295 βριθομένων φύλλοισι sc. ὄρχων = Σ 561 σταφυλῇσι μέγα βρίθουσαν ἀλωήν.

γλαυκιᾶν. Est ἀπ. εἰρ. ductum ab adiectivo γλαυκὸς et legitur Υ 172 γλαυκιόων δ' ἰθὺς φέρεται μένει. Est tamen etiam in scut. Herc. 430

γλαυκιόων δ' ὄσσοις δεινὸν πλευράς τε καὶ ὤμους | οὐρῇ μαστιόων ποσσὶ γλάφεν.

σκιρτᾶν est Υ 226 et 228, ὅτε δὴ σκιρτῷεν; in Batrachomyomachia est bis, v. 60 et 175.

πιτνᾶν est Φ 7 ἠέρα δ' Ἥρη | πίτνα πρόσθε βαθεῖαν. Forma πίτνημι est in Odyssea λ 392 πιτνὰς et Χ 402 ἀμφὶ δὲ χαῖται | κυάνεαι πίτναντο, cod. Venet. tamen et Eustathius exhibent πίλναντο: verbi πιτνᾶν vero nullum aliud exemplum est apud Homerum. πίτνειν dixit Hesiodus — liceat enim brevitatis caussa sic dicere — in scut. Herc. 291 καὶ ἔπιτνον ἀλωήν.

ἀπολιχμᾶν est Φ 123 αἷμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες. Nec simplex nec compositum verbum apud Homerum alibi ponitur. λιχμάζω est in scut. Herc. 235 λίχμαζον δ' ἄρα τώγε.

νάειν est ἀπ. εἰρ. Φ 197 καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν pro forma in carminibus Homericis usitata ναίειν, manare.

ἀκροκελαινιᾶν est ἀπ. εἰρ. Φ 249 ὦρτο δ' ἐπ' αὐτὸν | ἀκροκελαινιόων. Ductum vero est a verbo κελαινιᾶν, quod derivatum est a voce κελαινὸς eodem modo ut γλαυκιᾶν a voce γλαυκὸς et ab adiectivo ἀκρός. κελαινιᾶν non est apud Homerum (est apud Nonnum Dionys. 38, 18 et apud Oppian. Halieut. 4, 67), sed μελαίνεσθαι tantum, semel etiam μελάνεσθαι, velut *E* 354. *Σ* 548.

λωφᾶν est ἀπ. εἰρ. (semper autem eis verbis Iliadem tantum dico) Φ 292 ἀλλ' ὅδε μὲν τάχα λωφήσει: in Odyssea est compositum ι 460 κὰδ δέ κ' ἐμὸν κῆρ | λωφήσειε κακῶν. Apud poetas et scriptores posteriores vocabulum satis frequens est, λώφησις legitur apud Thucyd. IV, 81.

κυβιστᾶν Patrocliae debetur, *Π* 745 et 749 ῥεῖα κυβιστᾷ, nomen κυβιστητὴρ ibidem est, *Π* 750 ἦ ῥα καὶ ἐν Τρώεσσι κυβιστητῆρες ἔασιν et urinatores significantur. Quod nomen alia vi positum est *Σ* 605 = δ 18, ubi scurrae dicuntur, verbum praeterea legitur Φ 354 κυβίστων ἔνθα καὶ ἔνθα, sc. pisces.

τρωχᾶν ductum a radice verbi τρέχω ut τροπᾶν a radice verbi τρέπω est ἀπ. εἰρ. Χ 163 μώνυχες ἵπποι | ῥίμφα μάλα τρωχῶσι. Semel est in Odyssea, ζ 318 αἱ δ' εὖ μὲν τρώχων, εὖ δὲ πλίσσοντο πόδεσσιν sc. ἡμίονοι.

στοναχεῖν est *Σ* 124 ἀδινὸν στοναχῆσαι ἐφείην ductum a nomine στοναχή, quod est *B* 356. 590 Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε et aliis locis. In hymnis semel legitur forma στοναχήσεται et compositum *Ω* 79 ἐπεστονάχησε δὲ λίμνη.

τροπεῖν est *Σ* 224 ἵπποι | ἂψ ὄχεα τρόπεον, nusquam alibi in Iliade. Contra ἐπιτραπεῖν est *K* 421 Τρωσὶν γὰρ ἐπιτραπέουσι φυλάσσειν, ἀπ. εἰρ. Atque hoc loco pronuntiandum est, quod certis argumentis demonstrari potest, carmina *I* et *K* vinculo quodam et in verborum copia et in sententiis cum carminibus *Σ*—*Ω* ita cohaerere, ut omnia ea aetate proxime accedere statuendum sit. Rhapsodia *K* dempta nullam universi argumenti Iliadis lacunam perspectum iri iam critici Alexandrini viderunt.

καταδημοβορῆσαι est ἀπ. εἰρ. *Σ* 301, ductum ab adiectivo δημοβόρος, quod semel legitur *A* 231 δημοβόρος βασιλεύς.

Quaeritur iam, utrum verbum κτανεῖν statuendum sit annon. *Σ* 309 enim hic versus est: ξυνὸς Ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα et vehementer fluctuant docti, utrum forma κτανέοντα sit participium praesentis

an futuri. Scholia explicant τὸν κτείνειν βουλόμενον, unde apparet, criticos Alexandrinos eam formam intellexisse futurum praeter κτενεῖν. Ac sane ea forma legitur in libris aliquot X 13 οὐ μέν με κτανέεις, qua nihil efficitur, quoniam cod. Venet. habet κτενέεις. Praeterea certa futuri κτανέω exempla sunt Z 409 τάχα γάρ σε κατακτανέουσιν Ἀχαιοὶ et Ξ 481 ἀλλά ποθ' ὧδε κατακτανέεσθε καὶ ὕμμες. Quamobrem constat, κτανέοντα futurum esse posse. Id unum restat, ut quaeramus, utra forma aptior sit hoc loco, participium praesentis an futuri. Qua in re sine ulla dubitatione futurum tempus ante fero, nam de re futura agitur. Sententia haec est: Ego, Hector inquit, Achillem, virum fortissimum, non fugiam, sed fortiter manebo, quamquam is certe, virtute bellica ferox, persuasum habet, se interfecturum me esse: at vero facile res aliter evenire poterit, nam Mars i. e. pugnae sors, exitus, communis est ac saepe occiditur is, qui iam hostem interfecturus est, vel qui superavit hostem, ut paene eum interficere possit. Contra si κτανέοντα formam praesentis intelligimus, sententia languidior videtur esse (Mars etiam interficientem interdum interfecit), nam puncto temporis victor adversarium occidere solet. Qua de caussa mihi improbanda videtur esse sententia Buttmanni praesens κτανεῖν statuentis, quam comprobarunt *Kruegerus* Faesi alii. Quamquam etiam Cicero tempus praesens intellexit, orat. Milonian. 21, 56: Adde casus, adde incertos exitus pugnarum Martemque communem, qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit et perculit ab abiecto.

ἐπικελαδεῖν est Σ 310 ἐπὶ δὲ Τρῶες κελάδησαν et Θ 542 loco secundum *Lachmannum* aperte recentiore aetate composito. Simplex est Ψ 869 ἀτὰρ κελάδησαν Ἀχαιοὶ et verbum nativum Σ 576 πὰρ ποταμὸν κελάδοντα, Φ 16 ῥόος κελάδων et β 421 κελάδοντ' ἐπὶ οἴνοπα πόντον.

ἀποδειροτομεῖν est Σ 336 δώδεκα δὲ προπάροιθε πυρῆς ἀποδειροτομήσω. Neque verbum simplex nec compositum legitur in rhapsodiis *A—P*, sed Φ 89 σὺ δ' ἄμφω δειροτομήσεις, 555 καὶ ἀνάλκιδα δειροτομήσει, Ψ 174 δύο δειροτομήσας, χ 349 τῷ μή με λιλαίεο δειροτομῆσαι, hymn. Merc. 405 πῶς ἐδύνω — δύω βόε δειροτομῆσαι et verbum compositum est Ψ 22, ubi idem fere versus est, qui legitur Σ 336, et λ 35 τὰ δὲ μῆλα λαβὼν ἀπεδειροτόμησα.

ἀγινεῖν legitur in scuti Achillei descriptione Σ 493 ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ sc. νύμφας. Quod verbum nusquam est in libris *A—P*, semel praeterea in Iliade, Ω 784 τοίγε ἀγίνεον ἄσπετον ὕλην, ubi significat apportare, saepius in Odyssea ξ 105, υ 213, χ 198. Forma iterativa est ρ 204 τὸν δὲ πάροιθεν αγίνεσκον νέοι ἄνδρες. Quater praeter hos locos id verbum est in hymno Apoll. Pyth. ἔνθαδ' ἀγινήσουσι τελήεσσας ἑκατόμβας = 71. 82. 111. 188.

ἐλαστρεῖν semel in Homeri carminibus legitur Σ 543 ἐλάστρεον ἔνθα καὶ ἔνθα, saepe apud Theognidem Herodotum Euripidem alios.

ὑλακτεῖν ἅπ. εἰρ. Σ 586 ἱστάμενοι δὲ μάλ' ἐγγὺς ὑλάκτεον. In Odyssea est v. 13 κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει, 16 ὥς ῥα τοῦ ἔνδον ὑλάκτει (quid? non dicitur) ἀγαιομένου κακὰ ἔργα. Haud raro in Odyssea etiam est ὑλάω et ὑλάομαι, π 5. 9. 162. υ 15. Nomen ὑλαγμὸς est ἅπ. εἰρ. Φ 575, ὑλακόμωρος est ξ 29 et π 4, ubi κύνες ὑλακόμωροι appellantur.

ψευστεῖν quaeritur habeatne locum T 107 ψευστήσεις οὐδ' αὖτε τέλος μύθῳ ἐπιθήσεις. ψευστήσεις exhibet. cod. Ven. et schol. *B* explicant:

εἰκότως ψεύδεσθαι αὐτόν φησι, ἐρεθίζουσα ἐπὶ τὸν ὅρκον. Unde apparet Aristachum certe ipsum hanc formam intellexisse futurum verbi *ψευστέω.* Quod verbum cum nusquam esset in carminibus Homericis, *Imm. Bekkerus* mendum scripturae suspicatus litteris disiunxit et scripsit *ψεύστης εἷς.* Ego quidem non offendo in hac voce, immo cum multa verba denominativa sint in rhapsodiis de quibus disserimus, quae rarissime tantum legantur, nullo modo dubito, quin *ψευστεῖν* formatum sit a *ψεύστης* ut *βοωτεῖν*, *βατεῖν*, *βοτεῖν* a *βοώτης*, *βάτης*, *βότης*. Eadem sententia est *Augusti Lobeckii.* Qui in libro, qui inscribitur *Ῥηματικὸν* sive verborum graecorum et nominum technologia p. 150 rectissime *ψεύστης εἷς* multo peius esse censet. Sed alia accedit caussa, cur *ψευστήσεις* praeferam: etenim si nomen *ψεύστης* omnino abesset ab Iliade, incerta sane esset vox *ψευστέω*, legitur autem illud Ω 261

ψεῦσταί τ' ὀρχησταί τε, χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι; plane abest a libris *A—P*, ubi saepe *ψεύδεσθαι*, *ψεῦδος*, semel *ψευδής*, semel *ψευδάγγελος* est. Facile autem fieri potuit, ut in libris postremis, ubi *ψεύστης* est, *ψευστεῖν* etiam formaretur, ut *πενθεῖν* a voce *πένθος*.

πενθεῖν est *T* 225 *γαστέρι δ' οὔπως ἔστι νέκυν πενθῆσαι Ἀχαιοὺς* et *Ψ* 283 *τὸν τώγ' ἑσταότες πενθείετον*, item bis in Odyssea σ 174 et τ 120 *ἐπεὶ κάκιον πενθήμεναι ἄκριτον αἰεί.* Apud Aeschylum Herodotum Platonem alios ea vox praeterea legitur.

δειπνεῖν ἅπ. εἰρ. *T* 304 *λισσόμενοι δειπνῆσαι.* Frequentissimum verbum in Odyssea, ε 95 = ξ 111, δ 685, ι 155, 312, ο 79, 397, υ 119, in hymnis est semel, h. Apoll. Pyth. 319. Apud Hesiodum Op. et D. 442 *ἄρτον δειπνήσας τετράτρυφον.*

ἐπινέω est Υ 128 *ἅσσα οἱ Αἶσα | γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ* et Ω 210 *τῷ δ' ὥς ποθι Μοῖρα κραταιὴ | γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκον αὐτή.* Casu factum est, ut verbum simplex non positum esset in Iliade. Aliud compositum est in Odyssea, η 196 *ἔνθα δ' ἔπειτα | πείσεται ἅσσα οἱ Αἶσα κατὰ Κλῶθές τε βαρεῖαι | γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.* Inter quos tres locos similitudinem maximam intercedere nemo est, qui neget.

βουκολεῖσθαι; media huius verbi forma Υ 221 tantum est, activa Φ 448 *σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες*, semel in libris *A—P* Ξ 445 *Ἤνοπι βουκολέοντι* et κ 85 *τὸν μὲν βουκολέων.*

ἀτεῖν, ductum a nomine *ἄτη*, est *ἅπ. εἰρ.* Υ 332 *τίς σ' ὧδε θεῶν ἀτέοντα κελεύει .... μάχεσθαι.*

ὀχλεῖσθαι est *ἅπ. εἰρ.* Φ 261 *ὑπὸ ψηφῖδες ἅπασαι | ὀχλεῦνται.*

τυμβοχοεῖν est *ἅπ. εἰρ.* Φ 323 *οὐδέ τί μιν χρεὼ | ἔσται τυμβοχοῆσ', ὅτε μιν θάπτωσιν Ἀχαιοί.* Scholia Veneta tradunt, Aristarchum hanc formam intellexisse infinit. aor. verbi *τυμβοχοεῖν*, contra Cratetem genetivum nominis *τυμβοχόη*. Aristarchi sententiam fere omnes recentiores editores comprobaverunt ut veri similiorem; *F. A. Wolfius*, *Spitznerus*, *Buttmannus* *Crateti* assensi sunt. Me ut praeferam verbum movet Herodoti locus VII, 117 *ἐτυμβοχόεε δὲ πᾶσα ἡ στρατίη* et ad formationem huius verbi apte comparatur *H* 336 *τύμβον δ' ἀμφὶ πυρὴν ἕνα χεύομεν ἐξαγαγόντες.*

κατηφεῖν est *ἅπ. εἰρ.* Χ 293 *στῆ δὲ κατηφήσας*, semel etiam legitur in Odyssea π 342 *μνηστῆρες δ' ἀκάχοντο κατήφησάν τ' ἐνὶ θυμῷ.*

χαλκεύειν est ἅπ. εἰρ. Σ 400 *χάλκευον δαίδαλα πολλά*, nomen *χαλκεὺς* est Δ 187. 216. Μ 295.

χωλεύειν est Σ 411 *ἀνέστη | χωλεύων*, 417 *βῆ δὲ θύραζε | χωλεύων* et Υ 37, ubi idem versus repetitur, qui est Σ 411. Ubique initio versus usurpatum est his locis.

δραγμεύειν est ἅπ. εἰρ. Σ 555 *παῖδες δραγμεύοντες*, nomen, unde ductum est, legitur Λ 69 et Σ 552 locis similibus. Verbum, quod est Φ 444

θητεύειν est ἅπ. εἰρ., formatum a voce *θής*, in Odyssea legitur bis, λ 489 et σ 357.

ἀνιχνεύειν, ἅπ. εἰρ., est Χ 192 *ἀλλά τ' ἀνιχνεύων θέει ἔμπεδον*. Neque verbi primigenii ullum exemplum est.

λιτανεύειν plane abest a rhapsodiis antiquioribus, primum enim legitur Ι 581 *πολλὰ δέ μιν λιτάνευε*, deinde Χ 414 *πάντας δ' ἐλλιτάνευε*, Ψ 196 *σπένδων χρυσέῳ δέπαϊ λιτάνευεν | ἐλθέμεν*, et Ω 357 *γούνων ἁψάμενοι λιτανεύομεν*. Praeterea est η 145, κ 481, Hes. Theog. 469.

νηπιαχεύειν, derivatum a voce *νηπίαχος*, est ἅπ. εἰρ. Χ 502 *παύσαιτό τε νηπιαχεύων*.

ἠλασκάζειν, ἅπ. εἰρ., est Σ 281 *ὑπὸ πτόλιν ἠλασκάζων*, derivatum a verbo *ἠλάσκω*. Semel est in Odyssea, ι 457 *ἐμὸν μένος ἠλασκάζει*, nisi quis praeferat *Bekkeri* emendationem *ἠλυσκάζει*.

στάζειν in rhapsodia Τ tantum legitur, 39 *στάξε κατὰ ῥινῶν*, 348 *νέκταρ καὶ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν | στάξον ἐνὶ στήθεσσ'*, 354 fere eadem verba sunt.

σκάζειν praeter locum, qui est Τ 47 *τὼ δὲ δύω σκάζοντε βάτην Ἄρεος θεράποντε*, est Λ 811 *Εὐρύπυλος σκάζων ἐκ πολέμου*.

οἰνοποτάζειν, ἅπ. εἰρ., est Υ 84, bis in Odyssea, ζ 309 et υ 262.

νευστάζειν, ἅπ. εἰρ., est Υ 162 *νευστάζων κόρυθι βριαρῇ*, pluribus locis Odysseae, σ 154 *νευστάζων κεφαλῇ*, 240 *ἧσται νευστάζων κεφαλῇ*, μ 194 *ὀφρύσι νευστάζων*.

εἰλυφάζειν, ἅπ. εἰρ., est Υ 492 *πάντη τε κλονέων ἄνεμος φλόγα εἰλυφάζει*. Ac mirum est, quod Λ 156 in loco simillimo aliud eiusdem radicis verbum legitur *εἰλυφᾶν· πάντη τ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει*. Utrumque verbum est apud Hesiodum, hoc in Theog. 692 *ἱερὴν φλόγα εἰλυφόωντες* et illud in scut. Herc. 275 *τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε*.

σκιάζειν est ἅπ. εἰρ. Φ 232 *σκιάσῃ δ' ἐρίβωλον ἄρουραν*, derivatum a nomine *σκιά*, quod casu quodam abest ab Iliade. *σκιάζειν* est apud Hesiodum Theog. 716 *οἵ . . . κατὰ δ' ἐσκίασαν βελέεσσι Τιτῆνας*, *σκιᾶν* identidem in Odyssea, β 388 *σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιαὶ* = γ 487. 497. ο 185. 296. 471.

ὀπίζεσθαι, ductum a voce *ὄπις*, est Σ 216 *μητρὸς γὰρ πυκινὴν ὠπίζετ' ἐφετμὴν* et Χ 332 *ἐμὲ δ' οὐδὲν ὀπίζεο*, praeterea ν. 148, ξ 283 et in hymno Merc. 382 *καί σε φιλῶ καὶ τοῦτον ὀπίζομαι*. In libris Iliadis Α—Ρ pro eo verbo dicitur *οὐ λήθετ' ἐφετμέων* Α 496, *σέων μέμνημαι ἐφετμέων* Ε 818 et alia.

θαμίζειν, ἅπ. εἰρ., est Σ 386 *πάρος γε μὲν οὔτι θαμίζεις* = 425 = ε 88. Praeterea est duobus locis Odysseae, θ 161 *ἅμα νηῒ πολυκλήϊδι θαμίζων* et 451 *ἐπεὶ οὔτι κομιζόμενός γε θάμιζεν*.

φορμίζειν est Σ 605 *μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς | φορμίζων* = δ 18.

ἀτίζειν, derivatum a verbo *τίειν*, legitur Υ 166 *ἀτίζων ἔρχεται*, nusquam alibi.

μετατροπαλίζεσθαι est *ἅπ. εἰρ.* Υ 190 *τότε δ' οὔτι μετατροπαλίζεο φεύγων*, verbum simplex, quod abest ab Homero, traditur ab Hesychio: *τροπαλίζει στρέφει*.

πληκτίζεσθαι est *ἅπ. εἰρ.* Φ 499 *ἀργαλέον δὲ | πληκτίζεσθ' ἀλόχοισι Διός*.

ἀφορίζειν esse verbum, a quo ducenda sit forma *ἀπουρίσσουσιν*, quae est Χ 489 *ἄλλοι γάρ οἱ ἀπουρίσσουσιν ἀρούρας*, etiamnunc docti quidam contendunt. Quod cum valde a probabilitate abhorreat et nulla apta eius formae explicatio prolata sit, multo aptius cum *Bekkero*, cuius emendationem Dindorfius et Faesi comprobant, legitur *ἀπουρήσουσιν*, quae forma derivatur a verbo (*ἀπουράω*), praesertim cum in participio *ἀπούρας* eadem diphthongus *ου* sit, quae est in *ἀπουρήσουσιν*.

Iam sequuntur ea verba derivata, quae formata sunt littera *ι* stirpi addita:

δαιδάλλειν, ductum a voce *δαίδαλον* sive *δαίδαλος*, est Σ 479 *παντόσε δαιδάλλων* et ψ 200 *δαιδάλλων χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἠδ' ἐλέφαντι*. Apud Pindarum quoque verbum legitur. Atque memorabile est, Daedali artificis mentionem fieri tantum in carmine Σ (v. 592).

ῥήσσειν, quod verbum ductum est a radice verbi *ῥήγνυμι*, est *ἅπ. εἰρ.* Σ 571 *τοὶ δὲ ῥήσσοντες ἁμαρτῇ*, significans terram pulsare. Ab Odyssea abest, legitur autem in h. Apoll. Pyth. 338 *οἱ δὲ ῥήσσοντες ἕποντο*.

ποικίλλειν, artificiose aliquid facere, est *ἅπ. εἰρ.* Σ 590 *ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε*. Derivatur a radice vocum *ποικίλος* et *ποίκιλμα*, quae haud rarae sunt in Iliade et Odyssea.

καρκαίρειν est Υ 157 *κάρκαιρε δὲ γαῖα*, *ἅπ. εἰρ.* Derivatur a voce *κάρκαρος*, quam Hesychius tradit, raucum significanti ut *κάρχαρος*.

ἐρυθαίνεσθαι est Φ 21 *ἐρυθαίνετο δ' αἵματι ὕδωρ* = Κ 484.

ξηραίνειν est Φ 345 *πᾶν δ' ἐξηράνθη πεδίον* et 348 *ὡς ἐξηράνθη πεδίον πᾶν*, compositum 347 *ὡς δ' ὅτ' ὀπωρινὸς Βορέης νεοαρδέ' ἀλωὴν | αἶψ' ἀγξηράνῃ*.

καταπτήσσειν est *ἅπ. εἰρ.* Χ 191 *καταπτήξας ὑπὸ θάμνῳ*. In Odyssea θ 190 *κατὰ δ' ἔπτηξαν ποτὶ γαίῃ | Φαίηκες δολιχήρετμοι*. Verbum primigenium semel legitur Ξ 40 *πτῆξε δὲ θυμόν*, qui versus ab Aristarcho spurius habetur. Restant duae voces, *φλεγέθειν* et *ἀποκαπύειν*.

φλεγέθειν Patrocliae et carminum de quibus disputamus proprium est. Legitur Ρ 753 (*πῦρ*) *ὄρμενον ἐξαίφνης φλεγέθει*, Σ 211 *πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι*, Φ 358 *πυρὶ φλεγέθοντι μαχοίμην*. Apud Hesiodum Theog. 846 *κεραυνὸς φλεγέθων* appellatur. Verbum *φλέγειν* in carmine Φ tantum est, 13 *τὸ δὲ φλέγει ἀκάματον πῦρ* et 365 *ῥέεθρα πυρὶ φλέγετο*.

ἀποκαπύειν est Χ 467 *ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσσεν*, *ἅπ. εἰρ.* Verbum simplex non legitur, quod derivandum est a voce *κάπος*, quae traditur ab Hesychio, Suida, Etymol. Magn.; eadem radix latet in participio *κεκαφηώς*

Iam perventum est ad nomina, quae sicut verba secundum terminationes disponam.

ὀλετὴρ Σ 114 semel legitur. Vox est in litteris Graecis perrara (Anthol. gr. 6, 115. 9, 686). Femininum *ὀλέτειρα* est in Batrach. 116. *παιδολετὴρ* habent lexicographi.

ἴστωρ est Σ 501 et Ψ 486 *ἴστορα δ' Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα θείομεν ἄμφω*. Apud Hesiodum legimus *ἴστορα φῶτα* Theog. 792 (vir catus); hymn. 32, 2 Musae *ἴστορες ᾠδῆς* appellantur.

ἀροτὴρ est Σ 542 et Ψ 835.

ἀμαλλοδετῆρες commemorantur Σ 553. 554.

κυβερνήτης est T 43 et Ψ 316, *κυβερνητὴρ* semel in Odyssea ϑ 557, verbum *κυβερνᾶν* γ 283.

ἀλεξητήρ, T 396, est ἀπ. εἰρ.

ἀοσσητὴρ bis est in carmine O 254. 735., deinde X 333, et in Odyssea δ 165. ψ 119.

φορεύς, Σ 566, est ἀπ. εἰρ.

φονεὺς est I 632 *κασιγνήτοιο φονῆος*, Σ 335, semel in Odyssea, ω 434.

δονακεύς, Σ 576, est ἀπ. εἰρ., contra altera forma *δόναξ* satis frequens est.

κεραμεὺς est ἀπ. εἰρ. Σ 601. Legitur haec vox etiam in epigramm. hom. 14, 1. 12. et apud Hesiodum O. et D. 25:

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει καὶ τέκτονι τέκτων.

τραπεζεὺς est X 69 et Ψ 173 *ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἔσαν*. In Odyssea semel legitur, ρ 307 *τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν*.

ἀρδμὸς est Σ 521, ἀπ. εἰρ. Semel est in Odyssea, ν 247 *ἐν δ' ἀρδμοὶ ἐπηετανοὶ παρέασιν*. Casu autem factum est, ut verbum *ἄρδειν* non usitatum esset apud Homerum: quod est in hymn. Apoll. Pyth. 85 *ἀρδόμενοί τ' οὐρῆες ἐμῶν ἱερῶν ἀπὸ πηγέων*.

ἰυγμός, vox derivata a verbo *ἰύζειν*, quod est P 66 et ο 162, est ἀπ. εἰρ.

μυκηθμός, Σ 575, est ἀπ. εἰρ. In Odyssea est μ 265 *μυκηθμοῦ τ' ἄκουσα βοῶν αὐλιζομενάων*.

οἶδμα, quod nomen derivatur a radice, quae inest in voce *οἶδος*, est Φ 234 et Ψ 230: utroque loco verba similia sunt.

δέσματα pro voce *δεσμὸς* semel leguntur in Iliade, bis in Odyssea, α 204 et ϑ 278. Forma *δεσμὰ* plurali numero hymnorum propria est.

ἀναδέσμη est ἀπ. εἰρ. X 469.

ἀταρπιτός, Σ 565, est ἀπ. εἰρ. In Odyssea est ρ 234 et ν 195. Quod vocabulum formatum est a voce *ἀταρπός*, quam legimus P 743 et ξ 1.

ἀμαξιτὸς vox ficta est ab *ἄμαξα*, eadem ratione, qua *ἀταρπιτὸς* ab *ἀταρπὸς* derivatur.

φέρτρον, Σ 236, est ἀπ. εἰρ.

λέκτρον pro voce *λέχος* hic tantum est in Iliade, satis frequens in in Odyssea, α 437. ϑ 292. 337. τ 516. ψ 254.

βοτόν, grex qui pascitur, est ἀπ. εἰρ. Σ 521: *βοτὴρ* semel legitur, ο 503, et *μηλοβοτὴρ* uno Iliadis loco est, Σ 529.

βρωτὺς est ἀπ. εἰρ., T 205. Semel legitur in Odyssea, σ 407 *οὐκέτι κεύθετε θυμῷ βρωτὺν ἠδὲ ποτῆτα*. Haud rara vox in Odyssea est *βρῶσις*, quae in Iliade T 210 tantum legitur. Atque tertia vox eiusdem stirpis est

βρώμη, Odysseae propria. Ut omnia ea vocabula, sic etiam βιβρώσκειν a carminibus *A—P* prorsus abest: legitur *X* 92 δράκων βεβρωκὼς κακα φάρμακα.

ὀτρυντὺς est *T* 234 et 235.

ὁμήγυρις est ἀπ. εἰρ. *Y* 142 = hymn. in Cerer. 484. Praeterea hymn. in Ap. Pyth. 8, h. in Merc. 332, locis similibus. Verbum inde derivatum ὁμηγυρίζεσθαι est *π* 376.

ὑπάλυξις, *X* 270, est ἀπ. εἰρ. Verbum ὑπαλύσκω tamen, unde derivatur, satis frequens est.

δολοφροσύνη est *T* 97 et 112.

μεταπαυσωλή *T* 201.

γηθοσύνη est *N* 29 et *Φ* 390.

κερδοσύνη *X* 247, saepius est in Odyssea, *δ* 251. *ξ* 31.

συνημοσύνη, vox derivata a συνήμων, est *X* 261.

νωχελίη, quae vox derivatur a νωχελής, est *T* 411.

κερτομία, vox ubique plurali numero posita, est *Y* 202 = 433, praeterea *υ* 263.

ἁρμονίη, foedus, est ἀπ. εἰρ. *X* 255. In Odyssea *ε* 248. 361 ἁρμονίαι sunt fibulae.

καμμονίη, quae vox contracta est e καταμονίη, est *X* 257 et *Ψ* 661.

λαυκανίη = λαιμός, est *X* 325 et *Ω* 642.

Restant adiectiva, quae, quamquam multa non sunt, tamen magni momenti sunt.

δαφοινεὸς est *Σ* 538, ἀπ. εἰρ. Idem versus est in Herc. scut. 158. δαφοινεὸς derivatur a voce δαφοινός, quae in Iliadis libris *A—P* haud raro legitur, velut *B* 308 δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός, *K* 23 δαφοινὸν δέρμα, *Λ* 474 δαφοινοὶ θῶες; hymn. in Pan. 23 λαῖφος δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινόν.

λεπταλέος est *Σ* 571 ἄειδεν | λεπταλέῃ φωνῇ. Vox ducta est a vocabulo λεπτός, quod crebro ponitur in Iliade. Ex imitatione Homeri nimia hac quoque voce Apollonius Rhodius usus est, φᾶρος λεπταλέον II, 31; χιτῶνες λεπταλέοι III, 875.

λαχνήεις est *Σ* 415 καὶ στήθεα λαχνήεντα. In indice navium, qui ab omnibus hodie recentiori aetati assignatur, *B* 743 Φῆρες eo adiectivo afficiuntur, praeterea eadem vox est *I* 548 ἀμφὶ συὸς κεφαλῇ καὶ δέρματι λαχνήεντι et *Ω* 451 ἀτὰρ καθύπερθεν ἔρεψαν λαχνήεντ' ὄροφον.

αὐδήεις est *T* 407 αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεά, ἀπ. εἰρ. In Odyssea ea vox identidem legitur, *ζ* 125. *ε* 334. *κ* 136 = *λ* 8; *μ* 150. Apud Hesiodum est semel, Theog. 143.

δινήεις non abest a libris *A—P*, attamen vox multo frequentior est in postremis septem. Atque fere semper ad Scamandrum fluvium pertinet Ξάνθου ἄπο δινήεντος, *B* 877; Ξάνθου δινήεντος *Ξ* 434, *Φ* 2, (*Ω* 693); Σκαμάνδρου δινήεντος *X* 148; πὰρ ποταμὸν δινήεντα (Xanthus hic quoque dicitur), *Φ* 206 = hymn. XXI, 2 = *ζ* 9; Ξάνθον δινήεντα *Φ* 332. Uno Iliadis loco adiectivum δινήεις non ad Xanthum spectat, *Y* 392 Ἕρμῳ δινήεντι.

Huc facit etiam βαθυδινήεις, quod vocabulum est *Φ* 15 Ξάνθου βαθυδινήεντος, 603 βαθυδινήεντα Σκάμανδρον.

ἁλιμυρήεις est *Φ* 190 ποταμῶν ἁλιμυρηέντων ἀπ. εἰρ. Semel est in Odyssea, *ε* 460 ἐς ποταμὸν ἁλιμυρήεντα μεθῆκεν.

ὑψιπετήεις est ἀπ. εἰρ. X 308 ὥστ' αἰετὸς ὑψιπετήεις = ω 538. *ὑψιπέτης*, unde *ὑψιπετήεις* formabatur, in libris *A—P* vox satis frequens est, *M* 201 αἰετὸς ὑψιπέτης = 219 = *N* 822 = *υ* 243.

ὀφρυόεις semel legitur, X 411.

Quibus vocibus discrimen in copia verborum, quod intercedit inter rhapsodias *A—P* et *Σ—Ω*, dilucide perspicitur: quin etiam posterior aetas carminum postremorum declaratur tam multis formationibus multis. Quod nonnulla quaedam exempla multo certius probant: αἰετὸς ὑψιπέτης vocatur *M* 201, 219, *N* 822 et *υ* 243, versu ex imitatione Iliadis facto. Num vero veri simile est, si ab uno poeta profecta sunt carmina *M N X*, eundem uno loco usum esse adiectivo *ὑψιπετήεις*, quod nullo alio loco Iliadis est?

X 411 Ἴλιος ὀφρυόεσσα appellatur, quod adiectivum alibi nusquam est in Iliade. Derivatum est a voce *ὀφρύς*, quae in libris superioribus significat supercilium. Quae vis non apta est ad eam, quae necessaria est in adiectivo *ὀφρυόεις*, significationem explicandam. Quam praebet locus, qui est *Y* 151 οἱ δ' ἑτέρωσε καθῖζον ἐπ' ὀφρύσι Καλλικολώνης, ubi *ὀφρὺς* collem significat vel, ut *Goebelius* in libro de epithetis Homericis scripto p. 17 exposuit, collem revera supercilii similitudinem habentem, ab altera parte declivem et supra, ut supercilium crinibus, ita arboribus atque fruticibus obsitum. Cum vero vox *ὀφρὺς* ea vi posita prorsus aliena sit a rhapsodiis *A—P*, iam ea re posterior aetas significatur, magis tamen eo, quod a voce hac vi usurpata nova etiam vox ducta est.

Supersedeo, singula singulatim verba tractare, nam exempla, quae attuli, loquuntur et vocabula ante enumerata rem satis declarant.

II. Tractantur eae voces, quae singulare et enorme aliquid habent, aut in forma aut in vi.

Cum sermo populi alicuius nullo tempore integer maneat, sed perpetua commutatione et formae et significationes convertantur, si vere carmina Iliadis postrema septem recentiora sunt quam cetera, in vi et forma verborum quorundam discrimen perspiciatur necesse est. Atque est sane discrimen eius modi in vocibus satis multis, quae hic tractabuntur. Primum in forma vocabulorum haud paucorum aliquid singulare inest. Abnormis contractionis exemplum est forma *δῆσε*, quae est *Σ* 100 ἐμεῖο δὲ δῆσεν ἀρῆς ἀλκτῆρα γενέσθαι (*Bekkerus* scripsit δ' ἔδησεν). Nam cum a verbo *δέω*, ligare, ad normam formetur fut. *δήσω*, aor. *ἔδησα*, *δῆσα*, a verbo *δεῖ*, opus est, vero fut. *δεήσει*, aor. *ἐδέησε*, hac forma *δῆσεν* utrumque verbum confunditur. Ab Iliade autem verbum *δεῖ* omnino abest duobus locis exceptis, I 337 τί δὲ δεῖ πολεμιζέμεναι Τρώεσσιν | Ἀργείους; et *Σ* 100. In forma *δῆσε* iam primum id offendit, quod vocales *εη* contractae sint in *η*, qua re fit, ut dixi, ut inter aoristum verbi *δέω*, ligare, cuius forma *δῆσε* est *E* 780, *Φ* 30, et *δεῖ*, opus est, nihil discriminis intercedat; deinde quod *δῆσεν* non sit verbum impersonale ut aliis scriptorum Graecorum locis omnibus et I 337 etiam, sed personale. Alia quaedam exempla insolentioris contractionis ab antiquioribus rhapsodiis prorsus absunt: huc pertinent *τιμῆς* *I* 605 pro *τιμήεις*, *ἐΰξου* *K* 373 pro *ἐυξόου*, in Patroclia *P* 9. 23. *Πάνθου*, *P* 40 *Πάνθῳ*, *Σ* 475 *τιμῆντα* pro *τιμήεντα*, *η* 110 *τεχνῆσσαι* pro *τεχνήεσσαι*. Praeter

hos locos, quod sciam, in Homeri carminibus simile exemplum non est. Forma *νεῦμαι*, ionice contracta pro *νέομαι*, quae est *Σ* 136, praeter formam *ποιεύμην* *I* 495 unum exemplum est, ubi persona prima singularis medii contrahitur in *ευ*, quod frequentissimum est in personis ceteris. Forma *ἰείη* *T* 209, optat. verbi *εἶμι* a radice *ἰ* formatus, nullo alio loco est, recentior etiam est forma *εἴην*, *ξ* 496. Plane insolens est forma *κέονται* *X* 510 pro *κεῖνται*, *κείαται*, *κέαται*, quae semel etiam est in Odyssea, *π* 232 *θεῶν ἰότητι κέονται*. Accedunt formae inchoativae, quae in carminibus *Σ*—*X* tantum sunt, *μυθέσκοντο* *Σ* 289, *θρέξασκον* 599 et 602, *στενάχεσκε* *T* 132, *ὀλέκεσκεν* (alii *ὀλέεσκεν*) 135, *ὑποτρομέεσκον* Y 28. Quod *Im. Bekkerus* in libro, qui inscribitur Homerische Blätter, statuit p. 125, in verbis iterativis augmentum quod vocant perrarum esse, mihi quidem non tam certum videtur esse, quam viro doctissimo. Nam eius modi formae haud rarae sunt, *εἴασκε* *E* 802, *εἴασκον* *Θ* 318, *εἴασχ'* *Λ* 125 (v. 330 tamen est *ἔασκεν*), *εἴασκε* Y 408, *ἔφασκον* *N* 110, *παρέβασκε* *Λ* 104: in quibusdam cerni nequit utrum augmentum sit annon, velut *ἐθέλεσκον* *I* 353. 486. *N* 106, *εἴπεσκε*, quae forma saepissime legitur, aliae formae. Qua de caussa in hac re considerate agendum esse puto.

In declinatione nominum hae formae quas vocant metaplasticae inveniuntur alienae a rhapsodiis *A*—*P*: *πυρσοὶ* pro *πυρὰ* *Σ* 211; *γάστρη* pro *γαστὴρ* *Σ* 348 = *θ* 437, qua in voce etiam vis offendit, nam *γαστὴρ* in ventre lagenae vel vasis non dicitur; *κράατα* pro *καρήατα* *T* 93 est et in Odyssea, quamquam *κράατος* numero singulari *Ξ* 177 iam legitur; *μείς* pro *μὴν* *T* 119 dicitur; *ἰὰ* pro *ἰοὶ* Y 68; *τρίπος* pro *τρίπους* X 164; *Σ* 485 = Hes. Theog. 382 est pluralis *τείρεα*, significans sidera. Atque in hac quoque voce offendit et forma et vis: nam plur. *τείρεα* pro *τέρατα*, *τέραα* praeter hymn. in Mart. 7 *αἰθέρος ἑπταπόροις ἐνὶ τείρεσιν*, nusquam in Homeri carminibus et in hymnis legitur, deinde ea vox ubique significat portenta, monstra, numquam vero sidera.

Hoc loco tractabo voces nonnullas compositas, quae a rhapsodiis *A*—*P* prorsus absunt. Primum voces compositas tres, quarum pars prior est dativus localis. Sunt vocabula

ἀρηΐφατος *T* 31. *Ω* 415. *λ* 41.
δαϊκτάμενος *Φ* 146.
ἀρηϊκτάμενος X 72. 406.

Voces *ἀρηϊκτάμενος* et *δαϊκτάμενος* aperte compositae e participio *κτάμενος* et dativis *δαΐ* et *ἄρηϊ*, quamquam neuter dativus, quod sciam, locum significans legitur extra compositionem. Falso autem mihi a quibusdam explicari videtur *ἀρηϊκτάμενος* = occisus a Marte, *ἀρηΐθοος* *Θ* 278, *O* 315 = celer ut Mars, nam haec explicatio refellitur voce *δαϊκτάμενος*, ubi necessario dat. localis quem dicunt requiritur. Paullo difficilior explicatu est vox *ἀρηΐφατος*, cum enim participium *κτάμενος* = occisus extra compositionem quoque inveniatur, sine ulla difficultate explanantur *δαϊκτάμενος* et *ἀρηϊκτάμενος*: participium *φατὸς* vero non est apud Homerum excepta voce *ὀδυνήφατος*. Hanc rem expedit comparatio cum formationibus similibus instituta, nam ut a radicibus *κτα*, *πτα*, *φθα* formabantur aoristi *ἐκτάμην*, *ἐπτάμην*, *ἐφθάμην*, sic etiam a radice *φα* duci poterant *ἐφάμην*, part. *φάμενος*, adiectivum quod vocant verbale *φατός*. Atque haec senten-

tia eo firmatur, quod Hesychius tradit formam φατός, quam docet significare interfectum, occisum. Ad harum vocum similitudinem accedunt alia nomina, quae non ut ea de quibus modo dixi postremorum Iliadis carminum propria sunt: Ἀρηΐθοος *H* 10, Ἀρηΐλυκος, (qui lupus quasi est in pugna), praeterea apud poetas postreriores ἀρειμανής, ἀρειμάνιος (unde nomen ἀρειμανιότης derivata est), ἀρηΐφθορος. Eodem haud dubie spectant vocabula ὀρεσίτροφος (i. e. in montibus nutritus, λέων ὀρεσίτροφος *M* 299 = ζ 130, attamen λέων ὀρέστερος *X* 93 μ 232) et Ὀρέσβιος *E* 707, contractum ex ὀρεσίβιος (quae forma est apud glossographos). Praeterea quinque voces compositae sunt in his rhapsodiis, quarum vis dupliciter aucta est ita, ut altera particula supervacanea videatur esse. Sunt autem hae:

δυσάμμορος *T* 315. *X* 428. 485. *Ω* 727.
παναφῆλιξ *X* 490.
πανύστατος *Ψ* 552. 547.
πανάποτμος *Ω* 255. 493.
παναώριος *Ω* 540.

In hymno in Cereris honorem composito 452 praeterea est πανάφυλλος, apud Hesiodum O. et D. 811 παναπήμων. Quibus vocibus certissimum recentioris aetatis indicium declaratur, quoniam poesis epica ad perfectionem exculta simplicitate maxime et sensu quodam nativo animos hominum permovit, postea vero poetis illis magis magisque argutiarum studio captis illa pristina integritas defuit. Qui factum est, ut poetae isti ad artificia quaedam confugerent, quorum i n i t i a in eius modi vocibus compositis agnosco. Quod studium multo magis increbruit apud poetas epicos inferioris et infimae aetatis, qui multa eius generis vocabula finxerunt, velut πανάφθιτος, πανάϋπνος, πανασιτία, πανασθενής, πανάφυκτος.

Inter eas voces, quarum significatio mutata sit in rhapsodiis postremis, a nonnullis habetur vocabulum ὅπλα, aliquot locis pro armis positum. Cui rei ego quidem non tantum tribuerim quam Holmius in libro supra memorato. Qui cum *Θ* 55. *K* 254. 272. *Σ* 614. *T* 21. *Ψ* 26 ea voce non instrumenta, sed arma significari animadvertisset, propter id ipsum discrimen significationis Doloniam recentiori aetati assignavit: iure suo ei adversatus est Sengebuschius in Jahnii annal. philol. et paedag. vol. 68, p. 440. Mea quoque sententia id discrimen non aperte posteriorem aetatem significat, propterea quod, cum ὅπλον proprie fuerit quodvis instrumentum, usu frequenti facile antiquitus id vocabulum ad certum aliquod instrumentum transferri potuerit. Quod revera vario modo factum esse, cernitur in multis carminum Homericorum locis, quibus ὅπλα ad instrumenta navalia (funes, remi, vela), quin etiam ad funes tantum referuntur. Quae cum ita sint, rem sic mihi fingo, ὅπλον primum (*I*) significasse quodvis instrumentum. Quae vis est *Σ* 409. 412. γ 433. ζ 268. h. Apoll. Pyth. 279, Hesiodi Theog. 853. Verbum ὁπλίζεσθαι ea vi positum est locis permultis; reflexiva vi est uno loco, ψ 143 ὅπλισθεν δὲ γυναῖκες, mulieres se parabant ad saltandum. Postea vero hoc vocabulum dictum est de certis quibusdam instrumentis, quod idem factum est in voce latina armorum et theodisca wâfen (II). Atque primum nullo modo mirum est, temporibus illis bellicosissimis ὅπλα translata esse ad instrumenta bellatorum, ad arma (II a). Ea vis est *K* 254. 272. *Σ* 614. *T* 21; verbum sic positum est *Θ* 55 ὡπλίζοντο,

Ψ 26 *οἱ δ' ἔντε' ἀφωπλίζοντο*, *ξ* 526 *ὡπλίζετο*, *ω* 495 *ἀλλ' ὁπλιζώμεθα θᾶσσον. καθοπλίζεσθαι* est in Batrach. 160.

In Odyssea, quae commercia et industriam hominum maiorem declarat, *ὅπλα* saepissime ad instrumenta navalia transferuntur, maxime ad funes, vela, remos (II b). Quod factum est *β* 390. 423. 430. *κ* 404. 424. *λ* 9. 151. 410; praeterea in hymno Apoll. Del. 227 et in Hesiodi O. et D 627. Quin etiam *ὅπλον* de uno instrumento nautico dicebatur, de fune: quod apparet ex locis *ξ* 346. *φ* 390. hymn. VII, 27. 33. (II c).

In Batrachomyochia 287 fulmen appellatur *δειμαλέον Διὸς ὅπλον*, v. 280 vero idem fulmen significatur, eo nomine non addito, his verbis: *τὸ σὸν ὅπλον | κινείσθω μέλα Τιτανοκτόνον ὀβριμοεργόν* (III). Apud posteriores Graecorum scriptores aliis praeterea significationibus vox *ὅπλα* posita est eadem ratione explicandis. Quam ob rem, cum vis eius translata tam usitata sit iam in Homeri carminibus, non putaverim, ea voce posteriorem rhapsodiarum quarundam originem utique probari.

Sunt vero multae aliae voces, quarum vis mutata recentiorem carminum *Σ—X* aetatem multo magis declarat.

Σ 25 *τέφρην* scholia tradunt intelligendam esse *σποδόν*, pulverem. Quae interpretatio, quamquam *τέφρη* aliis locis significat cinerem, recte se habet, quoniam aperte significatur idem ac *κόνις* versu 25.

274 *σθένος* significat copias, exercitum Troianorum, *τὴν δύναμιν, στρατιάν*, quod nusquam alibi factum est.

392 *ὧδε* significat huc, quae vis ab Iliade aliena est, in Odyssea bis legitur, frequenter apud scriptores Graecos. Qua in re, quod raro fit, recedendum est ab auctoritate Aristarchi praecipientis, *ὧδε* apud Homerum semper significare sic, numquam huc vel hic. Aristarchi sententiam defendunt *Nitzschius* ad *α* 182, *Lehrsius* in appendice libro de Aristarchi studiis Homericis scripto, addito, *Heynius*, *Hermannus*, *Faesi*, alii, improbant *Buttmannus*, *Bekkerus* alii. Mihi quidem Aristarchi explicatio propterea a vero aberrare videtur, quoniam non perspicitur, qua ratione e vi „sic, hoc modo“ nata sit ea, quam ille in omnibus locis carminum Homericorum nesse contendit: statim, *οὕτως ὡς ἔχεις, οὐδὲν ὑπερθέμενος*, vel secundum Apollonii lexicon Homericum *πρόελθε ὡς ἔχεις, ἐκ προχείρου, μηδὲν ἀναβαλλόμενος*. Item *Lehrsii* explicatio: so, nur so, nec probabilis nec satis simplex mihi videtur, cum, ubi adverbium *ὧδε* ad verba eundi ponatur, quisque expectet locum demonstrari, in quem quis iter dirigat.

Qua re quotiescunque lego verba *νῦν δ' ὧδε ξὺν νηῒ κατήλυθον ἠδ' ἑτάροισιν | πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον ἐπ' ἀλλοθρόους ἀνθρώπους, | ἐς Τεμέσην μετὰ χαλκὸν* *α* 182 sqq., quibus verbis Minerva respondet Telemacho quaerenti v. 170 *τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;* llud *ὧδε* mea sententia nihil aliud significare potest nisi „huc“. Quam vim etiam *Σ* 392 praefero interpretationi contortae et violentae.

507 *τάλαντα* significant id, quod pensatum est, pondus, praeterea *I* 122 = 264, *T* 247. *Ψ* 269, *δ* 129, *θ* 393. In libris ante *Σ* positis semper significat trutinam i. e. id, quod pensat, quam vim priorem esse certum est.

590 *χορός* est area, in qua saltatur, in rhapsodiis vero, quae sunt inde a carmine *Δ* usque ad *P*, semper chorus i. e. homines saltantes. Atque significationis, quam ante memoravi, hoc Iliadis loco *Σ* 590 originem agnos-

cimus quasi, cum ea in Odyssea satis frequens sit, velut *θ* 260 *λείηναν δὲ χόρον*, 264 *πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν*, *μ* 4, 318. Est etiam apud Hesiodum, in Theog. 63 *λιπαροὶ χοροὶ* et in scut. Herc. 202 *ἀθανάτων ἱερὸς χορός*. Unde postea vox *χοροιτυπίη*, *Ω* 261, ficta est.

Τ 125 *τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν*, *φρένα βαθεῖαν* his tantum legimus apud Homerum, item verbum *τύπτειν* metaphorice hoc uno loco usurpatum est.

189 *τέως* significans „interea" a prioribus libris plane abest. *Τ* 189 tamen et *Ω* 658 *κατάλεξον, — ὄφρα τέως αὐτός τε μένω καὶ λαὸν ἐρύκω* et crebro in Odyssea ea vi ponitur.

248. *προβάλλεσθαι* semper apud Homerum vim primitivam, quae est proiicere, habet, velut *οὐλοχύτας προβάλλεσθαι*: hic tantum per metaphoram significat „superare, antecellere".

290. *δέχεσθαι* hic tantum significat „sequi": malum ex malo in me incidit. Quae vis ab Iliade abhorret, legitur tamen etiam in Theogonia 800 *ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτερος ἄεθλος*.

Τ 247 *στῆσαι* significat: facere, ut aliquid stet in trutina, ponderare. Quae vis in libris *Α*—*Ρ* non est, praeterea *Χ* 350 et *Ω* 232.

387. *σύριγξ* hic tantum est vagina, aliis locis semper fistula.

Υ 42 *Ἀχαιοὶ μέγα κύδανον*. Sicut omnia verba in *αινω* desinentia, vim transitivam vel potius causativam habere solent, ita *κυδαίνειν* quoque significat „honorare, insignem reddere" neque minus altera forma *κυδάνειν*, quae est *Ξ* 73 *τοὺς μὲν ὁμῶς μακάρεσσι θεοῖσιν | κυδάνει*. At vero *Υ* 42 *κυδάνειν* intransitive positum est, significat enim: se iactare, gloriari.

Υ 151 *ὀφρὺς* significat tumulum, collem, de qua re iam supra dictum est.

Υ 249 *ἐπέων δὲ πολὺς νομὸς ἔνθα καὶ ἔνθα*. Vox *νομὸς* ducta est a radice verbi *νέμειν*, quod proprie significat „distribuere", velut *Γ* 274 *κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις* et ut verbum *νέμειν* sic hoc uno loco significat distributionem, commercium verborum, *νέμησιν*. Eadem vis est in Hes. O. et D. 402 *ἀχρεῖος δ' ἔσται ἐπέων νομός*.

Φ 220 *στεινόμενος νεκύεσσιν*. *στείνειν* proprie significat coartare, passiva forma angi. Sic positum est *Ξ* 34 *στείνονται* |*δὲ λαοί*. Hoc loco carminis *Φ* vero significat plenum esse, quae vis, frequens in Odyssea et apud alios poetas, in Iliade semel est.

Φ 460 *πρόχνυ* bis est in Iliade. Vi propria est *Ι* 570 *πρόχνυ καθέζεσθαι*, in genu procumbere, metaphorice *Φ* 460: prorsus, misserimeu perire. Sic etiam semel in Odyssea dicitur, *ξ* 69 *ὡς ὤφελλ' Ἑλένης ἀπὸ φῦλον ὀλέσθαι | πρόχνυ*. *Φ* 551 *πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρε μένοντι*. In hoc quoque vocabulum incidit, quod in aliis iam animadversum est: in libris *Α*—*Ρ* vi propria positum est, *Ξ* 16 *ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ* sqq., ubi mare turbidum describitur, hic vero, *Φ* 551 per metaphoram ad animi perturbationem pertinet ut *δ* 427. 572. *κ* 309, qui loci imitatione expressi sunt e loco *Φ* 551.

Χ 166 *θεοὶ δέ τε πάντες ὁρῶντο*. Hoc uno loco *ὁρᾶσθαι* sine obiecto positum est et significat spectare, spectatorem esse.

Χ 199. Iam dictum est de voce *διώκειν*, quae hic significat cursu consequi.

X 319 ὡς αἰχμῆς ἀπέλαμπ' εὐήκεος. Prorsus insolenter hic verbum ἀπέλαμπ' positum est ut impersonale quod vocant, nam subiectum non adest. Similis est locus Odysseae v. 16:

ὥς ῥα τοῦ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένου κακὰ ἔργα, ubi quid latraverit in corde non dicitur.

X 371. ἀνουτητὶ est ἅπ. εἰρ. Atque cum sit quodam modo adverbium adiectivi ἀνούτατος, = non vulneratus, passivam vim in eo quoque expectamus, praesertim cum etiam adiectivum ἄουτος passivam vim habeat.

Haec fere sunt vocabula, quorum vis mutata est in carminibus postremis, omissis eis, de quibus iam antea disserui, velut ἀρίζηλος, τείρεα, γάστρη.

III. Epitheta.

Restat unum argumentum, quo mea quidem sententia certissime evinci potest, rhapsodias postremas septem tempore quantocumque post eas, quae ante ea sunt, compositas esse. Cum enim epitheta quae vocantur certissima soleant esse, ut νῆες θοαί, νεφεληγερέτα Ζεύς, Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς et alia permulta, e discrimine epithetorum, quod intercedit inter rhapsodias priores et posteriores, certe multum ad alius poetae ingenium divinandum efficitur.

Rem ita persequar, ut primum de deorum et de heroum, deinde de rerum epithetis agam.

Juppiter ἀργικέραυνος non ante T 121 appellatur, postea Y 16 τίπτ' αὖτ', ἀργικέραυνε, θεοὺς ἀγορήνδε κάλεσσας; Idem Ζεὺς θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος appellatur T 258 = τ 303, nusquam alibi.

Junonis epitheton Σ 184 est Διὸς κυδρὴ παράκοιτις = λ 580, Φ 479 Διὸς αἰδοίη παράκοιτις et praeterea Π 432 = Σ 356 Jovis κασιγνήτη ἄλοχός τε. Quae epitheta ab Jove ducta ante Π 432 aliena sunt ab Iliade, contra Juppiter saepissime in rhapsodiis Α—Ρ vocatur ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης, quod numquam fit post carmen Ρ. Y 70 Juno χρυσηλάκατος κελαδεινὴ appellatur, Π 183 Diana: alio loco Iliadis id epitheton non est.

Φοῖβος ἀκερσεκόμης est Y 39 et in h. Apoll. Del. 134 Φοῖβος ἀκερσεκόμης, ἑκατηβόλος. Y 79 appellatur λαοσσόος Ἀπόλλων, quod epitheton aliis locis ab Apolline alienum est: ἤιε Φοῖβε appellatur Ο 365. Y 152. hymn. Apoll. Del. 120.

Nec πότνια θηρῶν neque Ἄρτεμις ἀγροτέρη **Diana** ullo alio loco vocatur praeter Φ 470—471. In eodem carmine ἐυστέφανος κελαδεινὴ appellatur v. 511, ἐϋστέφανος vero est ἅπ. εἰρ. Contra ἐϋστέφανος Κυθέρεια Veneris epitheton est θ 267. 288. σ 193. et in hymn. Ven.

Vulcanus haud saepe ἄναξ vocatur et semper genetivo casu Ο 214. Σ 137. θ 270. Κυλλοποδίων appellatur Σ 371. Y 270., casu vocativo Φ 331; πολύμητις Ἥφαιστος Φ 355, quod appositum ab Ulixe mihi in eum translatum videtur esse, κλυτοτέχνης Σ 143. 391. Α 571. θ 286, postremo περικλυτὸς ἀμφιγυήεις Σ 383. 393. 462. 587. 590. θ 300. 349. 357 et κλυτὸς ἀμφιγυήεις Σ 613.

Mars uno loco Ἄρης κορυθαίολος appellatur Y 38, quod alibi semper ad Hectorem pertinet et ea de caussa ab Hectore ad Martem trans-

latum videtur; Υ 152 vocatur Ἄρης πτολίπορθος, Φ 392 Ἄρης ῥινοτόρος, quod appositum est ἅπ. εἰρ., item semel Χ 132 Mars vocatur κορυθάϊξ πτολεμιστής.

Thetis praeter Ι 410 in postremis tantum carminibus θεὰ Θέτις ἀργυρόπεζα appellatur Σ 127. 146. 381. Τ 28. Ω 89. 120; τανύπεπλος appellatur Σ 385 et 424, καλλιπλόκαμος 407 et Υ 207 (quod antea Ξ 326 Cereris epitheton est); ἁλοσύδνη Υ 207 (δ 404 Amphitrite eo nomine afficitur, quod praeter hos duos locos non est apud Homerum).

Neptunus identidem Ἐννοσίγαιος appellatur (Μ 27. Ο 218. λ 102), etiam vocativo casu Ἐννοσίγαι' ἐρισθενὲς (Η 455. Θ 201. ν 140), Ἐννοσίγαι' vocativo, nullo epitheto addito, in postremis libris tantum est, Υ 20. 310 Φ 462. Ἑλικώνιος ἄναξ uno loco appellatur Υ 404. Fluctuant interpretes, utra scholiorum explicatio rectius se habeat, quae tradunt: ἤτοι ὅτι καὶ ἐν Ἑλικῶνι ὄρει τῆς Βοιωτίας, τιμᾶται ἢ ἐν Ἑλίκῃ. Alii enim negant, a voce Ἑλίκη formari potuisse adi. Ἑλικώνιος, contra alii in eo offendunt, quod Ἑλικὼν mons non memoretur apud Homerum, et, nisi loco Θ 201 sqq. οἱ δέ τοι εἰς Ἑλίκην τε καὶ Αἰγὰς δῶρ' ἀνάγουσιν, scholiorum interpretationem μᾶλλον οὖν παρὰ τὸν ἐν Ἑλίκῃ comprobant. Mea sententia a voce Ἑλίκη adi. Ἑλικώνιος nullo modo derivari potest, longe aliae formationes inde ductae sunt, velut Ἑλικεὺς et Ἑλικήσιοι apud Strabonem, Aelianum, Diodorum, sicut ab Ἰθάκη Ἰθακήσιοι. Nullius momenti est, quod Ἑλικὼν abest ab Homero, cum in his postremis rhapsodiis multa nomina propria quae vocantur insint semel lecta, velut Nereides, Charis, Καλλικολώνη Υ 53. 151, Αἶσα Υ 127, quem versum imitatus est poeta versus η 197, Ἔραος Υ 392, Ἑωσφόρος stella Ψ 226. Difficultatem omnem tollere videtur Apollonii Sophistae interpretatio Ἑλικώνιον τὸν Ποσειδῶνα, ἀπὸ Ἑλικῶνος τοῦ ἐν Βοιωτίᾳ, ἱερὸν τοῦ θεοῦ, quae perturbate sub vocibus Ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα et Ἑλίκη apud Hesychium repetitur, et loci aliquot hymnorum, ex quibus apparet, Neptunum etiam in Helicone monte cultum esse: epigr. 6, 2 Κλῦθι Ποσειδάων μεγαλοσθενὲς ἐννοσίγαιε, εὐρυχόρου μεδέων ἠδὲ ζαθέου Ἑλικῶνος, maxime vero hymn. 22, 3: Nepturus, ὅσθ' Ἑλικῶνα καὶ εὐρείας ἔχει Αἰγάς, quo loco, cum is manifesto expressus sit e Θ 202, Helicon mons et Helice Achaicae urbis nomen confundi videntur, quo non minus hunc locum Υ 404 pertinere existimo.

Mercurius Υ 34 ἐριούνης Ἑρμείας = Θ 322 vocatur, 72 ἐριούνιος Ἑρμῆς, Ω 457 Ἑρμείας ἐριούνιος, Ἐριούνιος omisso nomine Ω 360. 440. Vox ἐριούνιος, quae in Odyssea et hymnis identidem est, a rhapsodiis Α—Ρ plane abest, in quibus dicitur ἄναξ Β 104 et ἀκάκητα Π 185.

Eris Υ 48 tantum λαοσσόος appellatur.

Hades Υ 61 ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεὺς appellatur, ad quae verba proxime accedit Ο 188: Ἀΐδης, ἐνέροισιν ἀνάσσων. Omnino vox Ἀϊδωνεὺς est perrara, hic et Ε 190.

Xanthi epitheta varia sunt in his libris: Φ 8 dicitur βαθυρρόος, quod appositum hoc uno loco excepto semper ad Oceanum pertinet (Η 422. Ξ 311); ἀργυροδίνης est Φ 8 et 130, contra Β 753 id epitheton ad Titaresium sive Eurotam pertinet, qui locus recentiore tempore compositus est. Deinde Xanthus δινήεις appellatur, quae vox in libris postremis multo frequentior est quam antea et ad Xanthum pertinet Ξ 877. Φ 2. 206. 332. Χ 148. Ω 693.

ad Hermum Υ 392. Semel Xanthus *βαθυρρείτης* Φ 195, semel *διοτρεφὴς* 223; *εὐρυρέεθρος, ἀπ. εἰρ.*, appellatur Axius Φ 141, ad cuius appositi originem declarandam apte comparatur *E* 545 *Ἀλφειοῦ, ὅς τ' εὐρὺ ῥέει Πυλίων διὰ γαίης.* Sunt praeterea alia quaedam epitheta fluviorum, quae in Iliadis carminibus postremis tantum sunt, *βαθυδίνης* Υ 73, Φ 143, 212, 228, 329 et *βαθυδινήεις* Φ 15 et 603.

Horae Φ 450 *πολυγηθέες* appellantur, quae vox est *ἀπ. εἰρ.* Ac mirum est, eas locis tribus antea epitheto omnino carere *E* 749 = Θ 393. 433.

Olympus Σ 186 et *A* 420 tantum *ἀγάννιφος* nominatur et acute Mauritius Hauptius, adductus eiusmodi vocibus aliquot, quae extremae partis *A* et carminum Σ et Φ propriae sunt, in epimetro libri *Lachmanniani* qui inscribitur Betrachtungen über die Ilias, inter eas partes Iliadis cognationem quasi quandam intercedere statuit. Mihi quidem poeta Olympum *νιφόεντα* Σ 616 appellasse videtur ex imitatione superioris illius epitheti *ἀγάννιφος.*

Achilles *T* 408 *ὄβριμος* appellatur solito Hectoris apposito, Σ 69 *ταχὺς* omissa voce *πόδας*, *ποδώκης* Σ 234, Υ 89; *πελώριος* Φ 527 et Χ 92, *ὄρχαμος λαῶν* Φ 222, ad quod epitheton proxime accedit *ὄρχαμος ἀνδρῶν* Ζ 99. Neque minus aliena a superioribus libris sunt haec epitheta Achillis: *ὁ κλυτὸς Ἀχιλλεὺς* Υ 320, *κρατερὸς* Φ 553, *κυδάλιμος* Υ 439, *μεγάθυμος* Υ 498, Ψ 168, *ὀλοὸς* Ω 39, *φαίδιμος*, quod mea sententia ab Hectore ad Achillem translatum est, *I* 130. Φ 160. 583. Χ 216. ω 76; *ὠκὺς* Υ 295, Φ 211, Χ 188, 229, Ψ 218, Ω 621.

Ulixes *T* 185 tantum appellatur *Λαερτιάδης* pro aliis epithetis, velut *διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ*, quod saepissime in rhapsodiis *A—P* legitur.

Diomedes *T* 48 tantum *μενεχάρμης* vocatur.

Idomeneus *T* 311 tantum *γέρων*.

Aeneas in carmine Υ tantum *μεγαλήτωρ Αἰνείας* et semper casu genetivo *μεγαλήτορος Αἰνείαο* appellatur, 175. 263. 293. 323.

Helena semel *ῥιγεδανὴ* vocatur *T* 325. Omnino hoc loco excepto nusquam maligno epitheto afficitur.

Troia uno loco, Χ 411 *Ἴλιος ὀφρυόεσσα* vocatur, de qua re iam expositum est.

naves Σ 3 et *T* 344 *ὀρθόκραιραι* appellantur, aliis locis boves tantum eo apposito afficiuntur.

Vox Σ 222 tantum ahenea vocatur: *οἱ δ' ὡς οὖν ἄϊον ὄπα χάλκεον Αἰακίδαο.*

Manus ter in his libris appellatur *ἀνδροφόνος*, Σ 317. Ψ 18. Ω 479.

Epitheton conclavis *εὐσταθές*, frequentissimum in Odyssea, hoc uno Iliadis loco Σ 374 est. Semper genetivo casu dicitur *ἐϋσταθέος μεγάροιο.* In rhapsodiis superioribus pro ea voce alia epitheta sunt, velut *εὔπηκτος* *B* 651.

Praecones Σ 505 tantum *ἠερόφωνοι* appellantur, ante carmen Σ *λιγύφθογγοι* dici solent.

Annus *T* 32 tantum *τελεσφόρος* dicitur, saepe in Odyssea, velut δ 86. κ 467. ξ 292. ο 230. Atque semper idem versus exitus est *τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτόν.*

Dies supremus saepissime in libris *Α—Ρ* vocatur *νηλεὲς ἦμαρ*, *κακὸν ἦμαρ*, duobus locis carminis *Τ* 294, 409 *ὀλέθριον ἦμαρ*.

Hasta Achillis inde a Patroclia *Πηλιὰς μελίη* appellatur, *Π* 143 = *Τ* 390, *Υ* 277, *Φ* 162. *Χ* 133. Hastae epitheton *χαλκοβάρεια* est *Χ* 328 et *χ* 259. 276.

Bellum *Υ* 152 *δυσηλεγὲς* appellatur, quod appositum legitur in Odyssea *χ* 325 ad mortem translatum: *τῷ οὐκ ἂν θάνατόν γε δυσηλεγέα προφύγοισθα*.

θεὸς ἄμβροτος legitur *Υ* 358. *Χ* 9. *Ω* 460. *ω* 445, quod a superioribus libris plane abest. Simile quid est *Σ* 362—3 in colloquio, quod Juppiter et Juno inter se habent: *βροτός, ὅσπερ θνητός τ' ἐστί*, est in Odyssea *η* 210 est *θνητοῖσι βροτοῖσιν*. Quae locutiones molesti et quaesiti aliquid habere mihi videntur et posteriorum poetarum more positae.

Tres omnino aetates in epithetis Homericis dilucide internoscuntur: Primum nominibus addebantur apposita, magis ea nomina insignientia, *νεφεληγερέτα Ζεύς*, *Ποσειδάων ἐνοσίχθων*, plurima alia. Deinde, omissis nominibus, epitheta pro nominibus ponebantur, ita ut epitheta illa aliis epithetis augerentur, *Ἔννο σίγαί ἐρισθενές*, *περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις* alia. Postremo epitheta pleniora diminuebantur: qua in re certum posterioris aetatis indicium cernitur. Antiquitus Achilles appellabatur *πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς*; *πόδας ταχὺς Ἀχιλλεύς*: in rhapsodiis, de quibus agimus, tamen est et *ὠκὺς Ἀχιλλεὺς* et *ταχὺς Ἀχιλλεύς*, eodemque spectat appellatio *διογενὴς Λαερτιάδης*, quae diminuta est in rhapsodiis postremis (*Λαερτιάδης*). Omnino praeterea ea epitheta pro nominibus posita offendunt, quibus nullum epitheton additum est. Quo spectant *ὁ διογενὴς* *Φ* 17, *διοτρεφὲς* *Φ* 75. *Ψ* 594. *Ω* 553. 635. *Ι* 229., *Ἐριούνιος*, *Κυλλοποδίων*, appellatio voce *ἥρως* instituta *Υ* 104, *Κ* 416 et alia vocabula, quae antea iam enumeravi.
